COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.



TERTIAE DECADIS SVPPLEMENT. IV.

LIPSIAE, MDCCLXXXV.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
Venduntur etiam
Londini apud Pr. Elmsly, Edinburgi apud Io. Balfour, Lugd. Bat. apud Fratres Luchtmann, Parisiis apud Barroi senior. Venetiis apud Io. Bapt. Pasquali, Milano apud Iof. Galeazzi, Augustae Taurinor. apud Laurent. Giraud, Holmiae apud Magnum Swederum.

I.

Diſputationum academicarum faſciculus primus continens phyſico-chemicas et chemico-pharmaceuticas emendatas et correctas nec non neceſſariis obſeruationibus et annotationibus illuſtratas a IOH. GOTSCH. WALLERIO, equite ord. Reg. Waſaei, chem. metallurg. et pharmaceut. profeſſ. Reg. ord. et emer. Vpſal. Acad. Imperial. Petropol. et naturae Curioſ. nec non R. R. Acad. Stockh. Vpſal. et ſoc. phyſiolog. Lundenſ. Membro. Holmiae et Lipſiae impenſis magni Swederi. MDCCLXXX. 8 mai. pag. 422.

Idem ille Cl. Auctor, de cuius ſcriptis eximiae eruditionis plenis in Commentariis noſtris paſſim retulimus, diſputationum earum, quas olim praecipuas Vpſaliae diuulgauerat, nobis hoc in libro tradidit collectionem, quarum aliae vel plane immutatae, aliae autem auctae et recentiorum Chemicorum inuentis et obſeruatis illuſtratae reperiuntur. Huncce priorem faſciculum in binas deſcripſit ſectiones, quarum altera diſſertationes phyſico-chemicas, altera autem chemico-pharmaceuticas tractat, quas omnes ſigillatim ſecundum ordinem ab Ipſo ſeruatum nunc breuiter indicabimus.

Diſp. I. *de principiis corporum.* Praemiſſa pri- p. 3.
mum corporum diſtinctione in compoſita, decompoſita et ſupradecompoſita, eorum principia, i. e. partes ſimplices, ex quibus corpus aliquod compoſitum eſt, eſſentias materiales vocitat exilitate vltima, ſeu ſubtiliſſimas, homogeneas, de quibus omnia

corpora naturalia, vel mediate, vel immediate ſunt producta, et in quibus omnia terminantur et finiuntur. Quae principia, quum veroſimile ſit a Deo primum creata ac condita fuiſſe, debent omnino vt primordia rerum creatarum conſiderari. Hanc ob cauſſam a Philoſophis Ἀρχαὶ, Πρῶτα σώματα, Πρῶτα μεγέθη, et ab HERACLITO ψηγμάτια appellata fuere. Porro quum haec principia corporum homogenea ſint, nequeantque in alias ſpecies diuidi, Στοιχεῖα ſeu elementa nuncupata ſunt. Fecerunt quidem antiquiores Philoſophi diſtinctionem inter elementa et principia; principium neque compoſitum eſſe, nec vllam originem habere dicentes, quo ſenſu ſolummodo Deum principii nomine appellandum eſſe ſtatuerunt; elementa autem pro abſolute homogeneis ſeu primis corporibus aſſumſerunt, a quibus aliquid conſtat, et quae aliam in ſpeciem dividi non poſſunt: at quum nec ignis, nec aër, et quae reliqua ſunt, a recentioribus philoſophis vt corpora homogenea conſiderari queant, diſcrimen illud principia inter et elementa plane negli-
p. 6. gunt. Sunt igitur principia corporum naturalium, quum artificialem diuiſionem et naturalem plane reſpuant, *indiuiſibilia*, atque ſimul *ſimplicia*, in oppoſitione ad alias particulas compoſitas, natura vel arte vlterius diuiſibiles, hinc a LEUCIPPO aliisque Ἄτομοι, et a PYTHAGORA Μοναδες ſunt appellata. Ab horum ſimplicitate ad eorum ſubtilitatem concludit, et exempla quaedam affert de corporum ingente diuiſibilitate. Prima haecce rerum principia licet extenſa ſint, ea tamen non poſſe, ait, a naturae viribus (phyſicorum ſenſu ſumta) mutari nec atteri nec diminui, id quod ex perpetua naturae identitate corporum naturalium apparet: nam ſi eſſent mutationi obnoxia, ipſa corpora, quae ab iis componerentur, identidem eſſent eſſentialiter mutationi ſubiecta,

iecta, et terra aeque ac aqua, vtpote ab iis compoſita, plane aliam noſtris temporibus haberent naturam, quam olim, neceſſe eſſet. Hinc iure a NEWTONO *rerum flamina* nuncupata ſunt. Igitur quoniam ſeſe nec diuidi nec mutari vllo modo patiuntur, ſequitur, ea non ſolum duriſſima eſſe, ſed etiam, quoniam poris omnibus deſtituta ſunt, eſſe impenetrabilia. Hac de cauſa factum eſt, vt haec corporum principia a chemicis ceu terrae conſideratae et iisdem terris adſcriptae ſint; imo propter eorum ſummam duritiem CARTESIUS ſuo globulo primateriali duritiem adamantinam attribuit. Omnino credit, Deum in mundo condendo a principiis ſimplicioribus initium feciſſe et demum poſtea ad magis compoſita corpora tranſiiſſe, eademque principia in omni corpore naturali exiſtere propterea ſibi perſuadet, quod in *corporum generatione*, quotidie tum mineralia tum vegetabilia corpora, ab aqua creſcere obſeruamus: quod in *corporum deſtructione* metalla in terram, terram in ſalia et ſic porro mutari animaduertimus, imo omnia corpora per ignem vehementem in eandem vitri ſpeciem conuerti poſſe videmus: quod denique *principiorum tranſpoſitione* certiores reddimur de hac ipſa veritate, cum inflammabilis materia, ſiue ex animali, ſiue ex vegetabili corpore deſumta ſit, in corpora metallica transferri poſſit, vbi eandem exſerat virtutem, quam inflammabile e minerali regno deſumtum. Attamen vix credibile eſt, corpora naturalia fuiſſe producta ab vna eademque materia ſimplici in ſua ſpecie homogenea: nam 1) obſeruamus, a ſimplici homogenea materia, homogenea duntaxat produci poſſe corpora, quae neutiquam ceu mixta aut compoſita, ſed tantummodo ceu aggregata conſiderari poſſunt: 2) dari corpora, quae qualitatibus prorſus contrariis praedita ſunt, quorum affectiones contrarias ad

p. 8.

p. 10.

qualitates ab vna eademque materia deriuari nullo modo poſſunt: 3) experientia edocti ſcimus denique, obtineri poſſe eiusmodi principia a corporibus, quae inter ſe mutuo conuerti non poſſunt, quod tamen fieret, ſi eiusdem eſſent indolis.

Nonniſi bina rerum principia Cl. Auctor adſumit, quorum alterum *paſſiuum*, alterum autem *actiuum eſt: paſſiuum* conſiſtit in *materia quadam terreſtri et ſolida; actiuum* autem in ſubtiliſſima ac tenuiſſima materia mouente, lucis primogenia. Vt haec clariora fiant et magis corroborentur, omne fluidum in ſolidum abire poſſe ait, fluiditatem vero a ſolo calore eſſe repetendam. Calorem conſiderat ceu ignem expanſum, qui ſine luce ne exiſtere quidem poſſit, maximamque aſſumit analogiam inter materiam inflammabilem ſeu materiam caloris et lucis materiam. Ipſique veroſimile videtur, inflammabilem materiam eſſe magis compoſitam, et a lucis materie cum particula terreſtri, vt verbis ſuis vtar, magis corporificatam ſeu fixatam. Ad haec bina principiorum genera, nempe ad *fixa* et *paſſiua*, vel ad *volatilia* et *actiua*, non ſolum refert veterum *calidum* et *frigidum*, *ignem* et *terram* et HIPPOCRATIS *ignem* et *aquam*, ſed etiam recentiorum *antipathias*, *ſympathias*, *attractiones*, *repulſiones* et quae
p. 14. reliqua ſunt. Nunc breuiter oſtendere annititur, qua ratione ex binis hiſce principiis tam diuerſa corporum et compoſitio et mixtio oriri poſſit. Corporum interea diuerſitatem non ſolum pendere autumat a numero et proportione *principiorum* ad conſtituendam particulam plus minusue viſibilem, ſed etiam ab eorundem principiorum cum *principiatis* combinatione vel hac vel illa proportione aut laxius aut arctius connexis. Hanc ſuam mentem clariorem reddit, inquiens: ſit A *materia lucis* ſubtiliſſima, B particula *terreſtris* principialis. Fiat A combinatum

combinatum cum B, oritur inde principiatum ſeu mixtum AB, quod particulam minimam *caloris* vel *materiae inflammabilis* conſtituit. Si nunc vlterius combinetur AB cum B, oritur inde mixtum terreſtre ABB, calore fluidum, quod nihil aliud eſſe poteſt, quam aqua. Hoc modo corporum inſignis diverſitas oritur e diuerſa *particularum lucis* cum *terreſtribus* combinatione numerica, ita vt corporis cuiusdam raritas a ſimplicitate numerica, denſitas autem a pluralitate numerica dependeat. Sic etiam p. 16.
corporum mollitiem et duritiem e laxiori aut arctiori particularum inter ſe nexu explicare ſtudet. Allegat deinde et fuſius enarrat diuerſa illa a chemicis aſſumta principia, quae omnia ad dicta bina ſua principia referri poſſe affirmat. Aërem fixum, qui recentioribus temporibus ad partes corporum conſtitutiuas relatus eſt, propterea non vt partem conſtitutiuam corporum conſiderat, quod eius particulae minimae elaſticae nullam habeant inter ſeſe cohaerendi vim, multo minus gaudeant glutine quodam, per quod particularum nexus in corpore produci poſſit. Ne quidem neceſſe eſſe putat, vt acidum aëreum fixatum fingatur, cum omnem vaporem aquoſum, aëris genuinam naturam et indolem aſſumere poſſe putat. Vtrorumque principiorum, quae ſupra recenſuimus, natura eſt materialis et extenſa, attamen in eo inter ſe diſcrepant, quod lucis, quam terreſtris materia, ſit ſubtilior: illa enim ſemper *actiua*, eſt leuiſſima, volatilis, lucens et inflammabilis, haec autem *paſſiua*, illa grauior eſt, neque flammam concipit, neque lucet. A lucis materia repetit corporum calorem et liquabilitatem, metallorum metalleitatem et malleabilitatem, cum contra materiam terreſtrem corporum duntaxat baſin conſtituere et lucis materiam figere aſſerat. Praeter corporum mixtionem, de qua verboſius Cl. p. 20.

Auctoris mentem explicare ſtuduimus, aliud quoddam denique requiritur, quod combinatis particulis formam et characterem imprimat. Hoc principium a philoſophis *formale* nuncupatum re ipſa dependere ſtatuit Cl. Auctor a viribus attractiuis, retractivis, repulſiuis, grauitatiuis aliisque cauſis occaſionalibus.

p. 21. Diſput. II. *De ſalibus alkalinis, eorumque vſu medico.* Praemiſſa ſalium alkalinorum diſtinctione, enarratis eorum proprietatibus et inter ſe diſcrepantiis et indicatis eorum notis et partibus conſtitutiuis, ad eorum vſum medicum tranſit. In ſalium alkalinorum formatione MEYERI magis, quam BLACKII, ſententiae fauet, attamen et huius opi-
p. 37. nionem aliquo modo limitauit et reſtrinxit. Vehementer eos, et quidem non iniuria, errare putat, qui quarundam plantarum virtutes in ipſarum ſale lixivioſo reperiri autument, ſtatuantque, ſal hoc modo ex ipecacuanha obtentum, emeſin mouere, illud autem ex ialappa ſortitum catharſin excitare poſſe, cum tamen in omni ſale alkalino fixo, ex quocunque corpore demum extracto, eadem inſit in corpus humanum agendi ratio. Haec ſalia agunt in corporis partes ſolidas, quoad ſuam acrimoniam et vrentem virtutem, ſtimulando et irritando: in fluidas partes autem agunt, aut vi ſua *acidi attractiua*, qua coagulationes quascunque et viſciditates ab acido ortas, reſoluendo deſtruunt; aut vi *oleoſas partes attractiua*, dum easdem oleoſas partes in fluidis hoſpitantes attenuare et in ſaponaceam maſſam redigere valeant; aut denique vi *gelatinoſas lentas* concretiones et ſordes reſoluendo, attenuando et detergendo immutant. Non autem vbique haec ſalia eundem edere poſſunt effectum, neque ſine diſcrimine et cautione promiſcue in omnibus concretionibus

cretionibus et viſcoſitatibus reſoluendis adhibenda ſunt; in pituita enim reſoluenda, quam in ſanguinea obſtructione tollenda, plus valent: quare omnino ob ſtimulum, quem excitare, et motum, quem in ſanguine producere poſſunt, in febribus ab eorum prodigo liberalique vſu abſtinendum. Igitur cum p. 42. alkalia fixa non ſolum terreas particulas ab acidis ſolutas praecipitare, verum quoque olea reſoluere poſſint, in calculis humanis, in quibus, iuxta Cl. Auctoris ſententiam, ſemper ineſt plurimum acidi, vel eorum terreas particulas praecipitando, vel oleoſum gluten reſoluendo, vim lithontripticam non inepte exſerere poſſunt. Nunc tranſit ad ſalia al- p. 51. kalia volatilia, et poſtquam de eorum differentiis, proprietatibus, imo et partibus conſtitutiuis neceſſaria praemiſit eleganterque expoſuit, eadem ſimili modo ac fixa alkalia in corpus humanum agere dicit, niſi quod maiorem adhuc, quam priora, habeant in ſyſtematis neruoſi fibras agendi vim.

Diſput. III. *De origine ſalium alkalinorum.* Pri- p. 57. mum ſtatim verba facit de ſalium origine prima, ſeu de ſale *principiali.* Hic maximopere refutat STAHLII de hac re ſententiam, qui putabat, illud compoſitum eſſe ſubtile ab *aqua* et *terra*, argumentisque appoſitis probat, oriri illud a materia *ſubtiliſſima calorifica* cum particula elaſtica ſeu *vaporoſa aquae* intime vnita. Progreditur deinde ad ipſa ſalia alkalia fixa naturalia, eorumque naturam, indolem et proprietates explicat. Haec ſalia quum maxime e regno minerali ſortiantur, non incongrue ſalia alkalina mineralia vocata ſunt. Generari illud continuo ex ſuis ipſius principiis putat, hancque generationem in ipſo mari optime fieri poſſe credit, quoniam illud et calcarea terra et acido et bitumine ſcateat. Poteſt et illud ſal per deſtructio-

nem naturalem ſalis communis produci, id quod Cl. COLBERGII et GMELINI obſeruationibus in Africa et Siberia factis probatur, qui in lacubus quibusdam ſtagnantibus et aeſtate exſiccatis, verum ſal
p. 64. muriaticum et lixiuioſum deprehenderunt. Sal alkali volatile minerale ab igne produci poſſe non negat, attamen cum illud etiam in locis ab omnibus vulcanis remotiſſimis fuerit inuentum, concludit, etſi non omne, certe tamen magnam huius ſalis copiam, a natura ſola generari poſſe, et quidem duplici via. Cum enim ſalia volatilia iisdem compoſita ſint principiis, ac quibus gaudent fixa, niſi quod priora maiorem habeant phlogiſti portionem, nullum Ipſi dubium eſſe videtur, quin, ſi fixis alkalibus oleoſa vel bituminoſa materia, adeoque phlogiſton maiori in copia addatur, ſal volatile naturaliter generari poſſit. Hanc ſuam hypotheſin non ſolum confirmat experimentum, quod Cl. MALOUIN inſtituit, dum ſpiritum volatilem ab alkali minerali cum oleo petrae mixto obtinuit, ſed etiam productio eiusdem volatilis e corporibus mineralibus alkalinam naturam habentibus et plerumque quidpiam bituminoſi continentibus, vt ex lapide ſuilli, et ſchi-
p. 67. ſti nonnullis ſpeciebus. Poteſt etiam alia inſuper ratione ſal illud volatile produci ac generari per deſtructionem ſalis muriatici, dum illud cum eiusmodi materiis coniungitur, quae aut inflammabile continent, vel alia ratione ſal muriaticum immutare poſſunt. Cum enim compertum ſit, aquam marinam non ſolum vaſis exceptam in putredinem abire, ſed etiam in aperto mari, vbi tamen mouetur, corrumpi, cur non idem fieri poſſit interrogat in ſubterraneis cauitatibus, vbi haec aqua perſaepe ſtagnare cogitur? Idem etiam probat ſalis vrinoſi generatio ex ſale communi cum calce viua calcinata, ſi hoc calcinatum deinceps deſtillationi ſubiicitur.

tur. De ſalibus alkalinis artificialibus exponens, p. 68.
ſal alkali fixum naturale reperiri quidem dicit in nonnullis vegetabilibus, attamen illa ſalia fixa, quae non niſi igne et elixatione a vegetabilibus et animalibus obtinentur, neutiquam in iis corporibus naturaliter inexiſtere credit, ſed mediante igne eſſe producta, hincque maximam eorum partem arte, id eſt, aut putrefactione aut ignis ope, effingi confirmat.

Diſput. IV. *De natura atque origine Nitri.* For- p. 77.
ma, ſub qua nitrum in natura occurrit, triplex eſt: aut enim in forma cryſtallina reperitur in Indiis, Peru, aliisque regionibus meridionalibus, aut in forma plus minusue efflorescente in cellarum teſtudinibus aut aliis locis, vt ſaxis et muris ſuperficialiter affixum, praeſertim autem in cloacarum ſtabulorumque vicinia conſpicitur, aut denique terris pinguioribus et humo immixtum deprehenditur, vt in Podolia et Vkrania. Conſiderata terra nitroſa, ex qua nitrum elutriando paratur, non ſolum lixiuium nitri primum, quod vulgo lixiuium maternum dicitur, ſed etiam ſpumam, quae ſub lixiuii inſpiſſatione in vaſis ſuperficie conſpicua fit, fumumque ſub coctione adſcendentem, via chemica accuratiſſime disquiſiuit. Quibus peractis collegit: ineſſe huic lixiuio magnam pinguedinis copiam, haud paruam portionem ſalis volatilis vrinoſi, ſpiritum ſalis et nitrum, impurum illud quidem, attamen perfectum. Iam illud lixiuium impurum inſpiſſando in cryſtallos redegit, et vlteriori examini chemico ſubiecit, ex quo apparet, conſtare illud ex ſpiritu nitri acido, pinguedine multa, terra calcareae indolis, ſale alkalino, quod poſt detonationem relinquitur, et ſale ammoniaco ſuperficialiter adhaereſcente, quod ſub deſtillatione cum ſale alkalino decomponitur. Praeter

ter nitrum in vaſis fundo cryſtalliſatum, ſimul quaque reperitur ſal muriaticum, cubicis cryſtallis, interdum etiam aliquid areani duplicati, cryſtallis minimis nitentibus durioribus, quod ab acido vitriolico
p. 91. terrae nitroſae quandoque adhaerenti, deducit. Magneſiam albam ſub charactere generico terrarum calcarearum comprehendit, eamque tamen ab his ſpecie eſſe diſtinctam autumat. Habet enim a terra calcarea ſuam originem, quae ſub putrefactione et ſolutione attenuatur, et cum aliis particulis, forſan *ſalinis*, miſcetur. *Urinoſum*, quod partim per ſe ſubſiſtens, vt ab odore vrinoſo ſub decoctione adſcendente patet, partim, vt iam ſuperius dictum eſt, cum acido ſalis in ſal ammoniacum combinatum obſeruatur, ortum ſuum trahit a vegetabilium et animalium partibus putrefactis: ſed non vt pars nitri conſtitutiua conſiderandum eſt, quoniam partim ſub ipſa coctura diſſipatur, partim cum acido ſalis conion-
p. 96. ctum, ſal ammoniacum conſtituit. Sal alkali fixum, quod in nitro praeſens eſt, cum alkali fixo vegetabili conuenit; cum autem illud neque a vegetabilium cineribus, neque ab eorum lixiuiis interdum additis, repetere poſſit, originem ſuam habere putat a terra calcarea (ſine cuius praeſentia nitrum nullo modo obtineri poteſt, quaeque a nitrariis magnetis nitroſi titulum accepit) ſubtili, acido ſoluta, et cum inflammabili materia ſub putrefactionis motu intime combinata. Sal ammoniacale, a ſale ammoniacali vulgari diſtinctum eſt, cum eius acidum cum nitri alkali peculiare ſal medium conſtituat. Ab hocce enim ammoniacali ſale, plus minus decompoſito, in diuerſa deinde combinatione cum inflammabili et baſi alkalina, produci ait ſalia acida,
p. 100. tam ſalis muriatici, quam nitri. Acidi ſalis muriatici praeſentia in lixiuio nitroſo primo negari nullo modo poteſt, attamen vnde oriatur illud acidum,

non

non aeque dictu facile esse putat; Interea Cl. Auctori probabile videtur, acidum salis, saltem ad magnam partem, eandem fere cum spiritu nitri agnoscere originem, haecque bina acida simul generari, et a natura produci, a principio vniuersali salino nunquam non in aëre praesente, combinato cum maiori copia materiae inflammabilis, vegetabilis aut animalis, eorumque acidorum inter se differentiam consistere in natura et quantitate admixtae materiae phlogisticae. Iam modum, quo nitri detonatio fit, p. 112.
explicaturus, peculiarem in nitri particulis et partibus sub detonatione motum existere credit, vnde noua aliqua particularum fiat transpositio et combinatio, fere eodem modo, vt quae in putrefactione obseruatur. Deducit igitur *fulminationem* et *ignem* a materia inflammabili nitro addita, quae fulminatio puritati nitri est proportionalis: *fremitum* dependere opinatur a particularum aquosarum in nitro praesentium repulsione sub ipsa fulminatione; vnde et eo maior fremitus, quo magis humidum fuerit nitrum: *motum* denique et *percussionem* a particularum separatarum volatilitate et elasticitate repetit, hinc quo puriores particulae et requisita proportione adfuerint, eo maior motus et percussio obseruetur. Nitrum purum vel venale aqua solu p. 114.
tum, cum acidis mineralibus non effernescit, licet ipsum nitrum cum oleo vitrioli fortiter incalescat et spumet: cum oleo tartari p. d. albescit et coagulatur, tardeque ad fundum praecipitatur terra alba calcarea, id quod etiam alkali volatile praestat: denique ab adfusa solutione lunae lacteſcit. Nitrum depuratum aqua solutum neque cum alkali fixo nec volatili praecipitari potest. Solent nonnulli ad obtinendum nitrum bene depuratum, solutioni nitri puri addere lixiuium alkalinum, vrinam, calcem, alumen, imo etiam acetum, de quo aceto addito,

puluerem

puluerem pyrium ab huiusmodi nitro confectum et fortiorem futurum et ignem facilius concepturum esse sperant.

p. 117. Disput. V. *De origine oleorum in vegetabilibus.* Oleum in ipsis vegetabilium partibus originem habet, et componitur ex materia inflammabili et tenuissima terrestri materia cum aqua, mediante salino principio, combinata. Hisce partibus constitutiuis accedit insuper in oleis essentialibus principium spirituosum, quod tenuissimum oleum aqua mixtum nominat, quodque in plantis aromaticis iam ante earum destillationem odore fragrante sese manifestat. Adest igitur in vegetabilibus *spirituosum* et *acidum* seu *principium salinum*, a quibus, accedente sola digestione aut solo calore et motu, generari potest et sine dubio re ipsa generatur oleum in vegetabilibus per se existens. *Spirituosum* illud in plantis originem suam habet, partim a principiis materialibus in semine existentibus, partim a materia inflammabili aërea vel terrestri, cum particulis aquosis, mediante acido seu salino principio, per motum intrinsecum seu fermentatiuum vnita: *acidum* contra generatur in diuersis plantis diuersum, ab aqua et inflammabili materia, vel extrinseca, vel intrinseca.

p. 127.

p. 131. In huius dissertationis fine obiectiones mouet contra Cl. SCHELII opinionem, qua recte nobis statuere videtur, constare olea ex phlogisto, acido aëreo et aqua: at quae ab eo contra hunc dubia prolata sunt, ea Cl. SCHELII sententiam non annihilant.

p. 134. Disput. VI. *De differentia et examine oleorum.* Experientia edoctus contendit, posse olea triturando in terram inflammabilem mutari; id quod cedriae exemplo vlterius confirmare annititur, quae a rusticis ad rotas illiniendas adhibita, continua rotatione

rotatione et motu, primum in picem, deinde autem in terram nigram abire ſolet. Diſpeſcit olea conſueto more in *vnguinoſa*, *eſſentialia* et *empyreumatica*, poſtea ea obtinendi rationem, eorum inter ſe differentiam, proprietates, grauitatem ſpecificam, colorem atque odorem enarrat et definit, et denique quaedam de eorum artificioſa adulteratione addit, methodumque tradit, qua haec fraudatio detegi poſſit. Miramur autem nos inter olea deſtillata colorem album habentia inueniſſe oleum Caryophyllorum, oleum Saſſafras, et oleum Cinnamomi, quae tamen omnia flaueſcenti colore praedita ſunt: porro oleum Thymi flauum colorem non habet, ſed fuſcum ſecundum noſtram experientiam, neque oleum baccarum iuniperi, vti dictum eſt, viridi, ſed albo colore praeditum eſt. Ad olea coeruleum colorem habentia addimus oleum Arnicae. p. 148.

Diſput. VII. *De dulcificatione acidorum.* Exhibita dulcificationis definitione monſtrataque differentia, quae inter hanc operationem et illam, quam edulcorationem et dilutionem vocant, intercedit, eam diſtinguit in *naturalem*, quam ipſa natura, et in vegetabilibus et in animalibus perficit, et in *artificialem*, qua Chemici in ſuis laboribus vtuntur, eamque duplicem, vel *metallicam*, vel *oleoſam*, conſtituit. Metallica dulcificatio oritur ex particularum metallicarum cum acidis artificioſa combinatione, qua ratione mixtum aliquod producitur, quod aut ſapore dulci praeditum eſt, vt fit in *ſaturninis* et *martialibus*, aut omni ſapore plane deſtitutum; quorum in numero *mercurialia* ſunt. Duplicem in plumbo adeſſe ait dulcificationis cauſam, quarum alteram in ipſa terra plumbi, quam alkalinae indolis eſſe ſtatuit, alteram autem in materia phlogiſtica cum terra vnita ponit: his ſi acceſſerit phlogiſtica materia aceti, p. 157. p. 161.

non

non mirum esse dicit, oriri compositum, quod et saporem dulcem habeat, et omnis acrimoniae expers sit. Eadem quoque dulcificatio in ferro locum habet, modo illud aceto destillato solutum sit, id quod *saccharum martis* probat: reliqua autem metalla, vt stannum, cuprum et wismuthum, dulcificari non possunt, siquidem eorum salia saporem amarum
p. 162. et stypticum habent. Vnicum dulcificationis metallicae insipidae exemplum reperitur in mercurio dulci, quem vt calcem mercurii considerat, in qua ea adest copia mercurii viui, quae requiritur ad obtundendam omnem in acido salis acrimoniam. In reliqua acida nullam habere videtur mercurius potestatem, illaque mutare non valet, cum neque vegetabilia, neque mineralia acida a mercurio dulcificari possint. Nunc progreditur ad dulcificationes *oleosas artificiales*, et inter illas potissimum refert acida dulcificata, vt liquorem anodynum Hoffmanni, spiritum nitri dulcem et quae reliqua sunt.
p. 170. Dulcificationem *oleosam naturalem* ipsa natura perficit in *regno vegetabili*, eaque fit et distincte satis apparet in fructibus maturis, saccharo, melle reliquisque succis dulcibus. Naturalem hancce dulcificationem consistere ratur in particularum spirituosarum oleosarum intima cum acido vnione, eamque adiuuari non solum ab humorum circulatione et motu intrinseco fermentatiuo, sed etiam a calore
p. 174. solari, aestiuo tempore efficaci. Hac occasione quaedam de acido sacchari exponit, et argumentis sat ponderosis oppugnat crystallisationem acidi sacchari. Cum enim nullum purum acidum vegetabile per se, sine basi vel oleosa, vel alkalina, vel terrestri, crystallisabile sit, crystallos illas sacchari considerat vt saponaceas; et ex allatis adhuc aliis momentis grauibus, ad hoc acidum sacchari spectantibus, colligit: acidi sacchari crystallos re ipsa nihil

aliud

aliud esse, quam saccharum ipsum, quod acido nitri, loco aquae crystallisationis ruptum, solidam obtinuit consistentiam; hinc acidum sacchari, *saccharum nitratum* vocat. Quod hoc saccharum nitratum alios, quam spiritus nitri, effectus edat in relatione ad alia corpora, id neque mirandum esse, neque vt nouum quoddam considerandum ait: nam iidem effectus a saccharo nunquam exspectari possunt, quos spiritus nitri purus, vel simpliciter rectificatus, producere potest. Dulcificatio, quae *natura in regno animali* perficit, in chylificatione et liquorum lacteorum elaboratione consistit.

Disput. VIII. *De materiali differentia luminis et ignis.* Per *ignem* intelligit Cl. Auctor materiam lucentem, maxime mobilem, quae non modo corpora calefacere, sed etiam eorum pleraque minus dura comburere, eorumque nexum et compagem dissoluere potest. Iam differentiam illam, quae inter *materiam caloris* et *materiam phlogisticam* intercedit, quippe sine quorum praesentia ignis existere nequit, ostendere studet, *materiamque caloris* in suo puritatis ac simplicitatis statu, esse ait quam maxime fluidam, subtilem, mobilem, volatilem et elasticam, cum lucis materia combinatam, a qua actiuitatem habet: *materiam* autem *phlogisticam* eadem quidem constare caloris materia, attamen semper combinatam esse cum subtili quadam materia terrestri et simplici, per quam magis composita, magis fixa, grauis atque minus penetrans et mobilis redditur, genuinum omni igni praebens pabulum. Nunc *ignem solarem* considerat, quem nullo modo in ipsis radiis solaribus quaerendum esse opinatur, sed in materia radiis solaribus exposita accensibili. Adest enim in radiis solaribus nec calor nec ignis, sed calor ab iisdem excitatus, dependet ab attactu

p. 177.

p. 191.

luminis ad corpora ſubiecta. Eſt igitur ignis ſolaris, quippe qui non niſi in corpore combuſtibili exiſtat, re ipſa ignis vulgaris, ad quem excitandum, radii ſolares nonniſi actiue ſe habere poſſunt, agendo in particulas phlogiſticas in aëre natantes, nihil
p. 199. vero materialiter ſeu igneum contribuendo. Contemplatur deinde reliquos ignes, tum arte, tum natura productos, vt ignem electricum, fulmineum, phoſphoreum etc. eosque, cum in omnibus adſit vera ignis materia, ſeu verum phlogiſton vel ſulphur, ab alio vulgari igne, tam ratione lucis, quam effectus, quem edunt, plus minus differre autumat.
p. 203. Tandem ad *lucis materiam* Cl. Auctor ſe conuertit, huiusque indolem et differentiam ab igne vulgari cognitam reddit. Eſt autem ſecundum ſuam ſententiam haec lucis materia neque calorifica, neque phlogiſtica, neque aërea, ſed peculiaris, ab omni alia nota materia diſtincta, ſubtiliſſima, mobiliſſima, leuiſſima, in omnem plagam ſeſe extendens, in omni corpore, et in aëre praeſens, atque in atmoſphaera noſtra, nunquam non cum materia calorifica, vel phlogiſtica combinata, ſumme actiua, corpora non deſtruens, ſed refocillans: praeterea in ſe ſuaque natura indiuiſibilis et immutabilis eſt, neque vlla arte, neque natura augeri, diminui aut deſtrui poteſt, ideoque re ipſa habenda eſt pro genuino principio actiuo, a quo omnis dependet motus. Haec *materia lucis* cum ſubtiliſſima elaſtica materia coniuncta, conſtituit in corporibus principiatum, *materiam calorificam*, cui ſi acceſſerit aliud *terreſtre*, producitur *phlogiſton*. Igitur materialis differentia inter ignem et lucem in eo conſiſtit, quod in *igne* adſit calor cum luce, ſed non in omni luce calor.

p. 212. Diſput. IX. *An calor a Sole?* Allatis et ponderatis veterum ac recentiorum, tum phyſicorum, tum chemi-

chemicorum ſuper hac re ſententiis, olim iam BOERHAAVIUM et POTTIUM ſuper hac re et recte cogitaſſe et bene ſcripſiſſe affirmat: deinde rem omnem fuſius explicare, horumque virorum ſententias experimentis corroborare allaborat. Ex quibus omnino patet, *lucem ſolarem* ſine omni calore exiſtere poſſe, eiusdemque calorem dependere a materia phlogiſtica in atmoſphaera plus minus praeſente. Diuerſus calor, qui diuerſis anni tem- p. 232.
poribus obſeruatur, et differentia climatum aſtronomicorum, eatenus Ipſi videtur repetendus eſſe a ſole, quatenus ille plus vel minus, breuiore aut longiori tempore, radiis aut perpendicularibus aut obliquis, particulas in aëre aut maiori aut minori copia praeſentes, in requiſitum excitare poteſt motum fortiorem aut debiliorem.

Diſput. X. *Animaduerſiones quasdam ſiſtit chemi-* p. 236.
cas, ſpectantes ad fulminis ictum, quo arx Regia Upſalienſis d. XXIV Aug. MDCCLX percuſſa fuit. Primum deſcribit atque enarrat phaenomena ea, quae in fulmine regiam arcem infeſtante obſeruata ſunt, et deinceps hiſce exempla quaedam adiunxit alia, quae de huius meteori ſingulari operandi vi atque modo teſtantur. Odor ſulphureus, qui ſem- p. 248.
per poſt fulminis ictum efficacem percipitur, veri ſulphuris praeſentiam arguit. Hoc autem ſulphur, quod ignem fulmineum conſtituit, non ſolum effectu, quem edit, ſed etiam ſubtilitate ſua, longe diverſum eſt ab acido et inflammabili illo, quibus ſulphur vulgare componitur. Comparatur hic ful- p. 252.
minaris ignis cum aliis materiis lucem emittentibus et cum vi quadam fulminantibus: vt cum Auro fulminante, cum pyrophoro, phoſphoro, aëre phlogiſticato et igne electrico. Inter quos ignes vim electricam, cum eundem in corpora effectum edat,

quam coeleſtis ignis, ob analogiam, quae inter vtrumque ignem intercedit, proxime accedere ad fulmen ait, concluditque, veram eſſe phyſicorum ſententiam, qua ſtatuitur, fulmen et vim electricam vni eidemque materiae ſuos debere natales, vimque electricam a fulmineo igne non differre, niſi quoad gradum maioris vel minoris intenſitatis.

p. 264. Diſput. XI. *De lapide tonitruali.* Haec diſputatio ad eos pertinere videtur, qui lapidum tonitrualium praeſentiam ſtatuunt, eosque eo tempore, vbi nubibus collidentibus caelum tonitru contremit, ſub forma globulorum ignitorum de caelo delabi autumant. Perſtringit Cl. Auctor breuiter variorum ſuper hac re varias opiniones et hypotheſes, opinaturque, neque tempeſtatum vlla vi, lapides minerales in nubes eleuari poſſe, neque in ipſo aëre aut nubibus generari aut produci vllum lapidem, quippe cum in his locis deficiat materia lapi-
p. 274. dea; dari autem lapidem tonitrualem, non in aëre, neque in nubibus generatum, ſed in *terra* igne fulminari colliquatum, eiusdemque notam characteriſticam in eo poſitam eſſe, quod *ſcoriam referat metallicam*, vel *metallicum colliquatum*, quibuscum ſcoriis vel metallicis particulis, liquidis ac fuſis, interdum *terreae* vel *lapideae*, imo *vegetabiles* partes, immiſceri poſſunt illiquatae.

p. 276. Diſput. XII. *De indole aquae mutabili.* Conſiderata primum aquae natura, et explicatis eius proprietatibus, in iis nihil inuenit, quod aquae mutationi repugnare poſſit. Igitur non ſolum ex ipſius aquae indole et natura, ſed etiam ex obſeruationibus et experimentis, tum a ſe Ipſo, tum ab aliis cum aqua inſtitutis, omni data opera euincere vult, poſſe
p. 301. aquam mutari 1) in vaporoſum quid, ſeu *aëreum elaſticum*,

ſtaſticum, 2) in *corpus ſolidum*, membranaceum, elaſticum, motu productum, ſeu *ſpumam*, 3) in corpus ſolidum *coagulatione* productum, 4) in corpus minus fluidum, ſenſu ſolidum, *glutinoſum*, 5) totam denique *in terram*.

Diſput. XIII. et XIV. *Quae dubia quaedam, contra transmutationem aquarum mota, refelluntur.* p. 302. ad 332. Hiſce in diſputationibus omnia fere dubia, quae inde a multis annis ad noſtra tempora vsque agitata ſunt contra aquae in terram conuerſionem, non ſolum diligenter notata et collecta leguntur, ſed etiam eorum quaedam interdum ſatis ingenioſe refutata. At cum hic non poſſimus commode huic tractationi dignam et accuratam exhibere rerum tractatarum expoſitionem et narrationem, ad ipſarum diſputationum lectionem lectores amandare cogimur.

Sectio poſterior continens diſſertationes chemico-pharmaceuticas.

Diſput. XV. *Cenſurae circa praeparationem medicamentorum chemicorum.* p. 335. Tranſeamus hic, quae ſtatim initio exhibuit, praecepta pharmaceutica, ea quippe plurimis iam cognita eſſe putamus, et ea duntaxat proferamus et expromamus, quae nobis viſa ſunt eſſe maioris momenti. Iure reiicit operoſiorem *aeruginis* cryſtalliſationem, in eiusque locum ſubſtituit aeruginis ſolutionem, vel in aceto, vel lactis ſero factam, et poſt filtrationem euaporando exſiccatam: pari quoque iure *lapidem Bezoar*, *chelas cancrorum*, *margaritas* et quae reliqua ſunt eiusmodi praeparata, ex officinis proſcribit. *Corallia rubra*, vtpote magis martialia, quam *alba corallia*, admittit. *Aquas deſtillatas*, vt efficaciores obtineantur, maioremque nanciſcantur in aegrotorum cor-

pora vim, ſic praeparare docet, vt ſucculenta vegetabilia, vt *ceraſa*, *rubi-idaei fructus*, *fraga*, etc. ſine omni additamento per ſe deſtillentur; *floribus* autem *ſambuci*, *tiliae* etc. addatur ſub eius deſtillatione tantum de ſuo ſucco expreſſo, quantum ad empyreuma euitandum requiritur; ad quam rem ſufficere iudicat, tertiam ſucci partem verſus flores adſumtam. Quas contra prioribus adhuc minorem ſucci copiam in ſe continere autumat herbas, vt *mentham*, *ſaluiam*, *roriſmarinum*, *flores chamomillae* etc. eas aut cum aequali ſui ſucci expreſſi pondere, aut cum illius aquae idonea quantitate, quae ex iiſdem floribus et herbis prius deſtillando elicita fuerit et antiquior ſit, ſuperfundendas et deſtillandas eſſe proponit. Quae quidem aquas parandi ratio, etſi de maiori earum efficacia et vi non eſt quod dubitemus, imo potius ipſi eiusmodi praeparationem auide optemus, tamen cum et multo pretioſiores ſint comparatu, et maiorem ad putredinem hoc modo nanciſcantur procliuitatem, vix ac ne vix quidem putamus, eiusmodi praeparationem in officinis vnquam locum habituram eſſe.

p. 340. *Salia* aquis deſtillaturis tantum addi iubet iis, quae ex aromatibus fiunt, in caeteris ea non aeque opus: *fermentationem*, quae praegreditur aquarum deſtillationem, non diſſuadet, ſed eam potius aliquid conferre putat ad aquas magis odoriferas obtinendas: attamen contendit, de addito fermento ſemper aliquid cum aquis communicari, ac vel pro maiori aut minori fermentationis gradu fieri earum partium aliquam tranſpoſitionem. Optima *aquas ſpirituoſas* parandi ratio fit, ex vini albidi partibus tribus ad vnam vegetabilis, cui, facta maceratione, deinceps, vt empyreuma euitetur, aquae purae pars vna addatur. *Spiritus per fermentationem* faciliori opera ac immutata olei virtute obtineri poſſe ait ab

oleo

oleo plantae in ſpiritu vini ſoluto. *Spiritus abſtractos* parari iubet ex ſpiritus vini tenuioris p. IV, ad ſummum VI ad vnam vegetabilis, cui, maceratione praegreſſa, addatur aqua ſimplex eadem ratione, vt iam in aquis ſpirituoſis praecepit. *Eſſentias* praefert ſpiritibus abſtractis, ſi omne id, quod in ſpiritu vini ſolubile eſt, integrum deſideratur.

De *Oleis coctis* Cl. Auctor ſuam iam ſententiam p. 342.
dixit diſputatione ſexta, eaque potius infuſa appellare vult. Fallacem eam methodum eſſe ait, qua olea a vegetabilibus ſpiritu vini digeſtionis ope parantur; neque eadem parandi ratio ab Italis recepta, dum ii vegetabilia ſtratificant cum goſſypio, oleo quodam expreſſo prius imbuto, et leni calori deinceps expoſito, arridet; id enim incommodi habet, vt, reiterata hacce et diuturna operatione, oleum goſſypio adhaerens, facile rancorem contrahat, vixque quidquam aliud attrahat, quam quod volatile cum eodem communicatur. *Oleum hyperici* optime paratur mediante vino Rhenano, calore ſolari adiuuante, caeterum optima olea cocta parandi methodus ea Ipſi videtur, quam Edinburgenſes in ſua proponunt pharmacopoea. Circa deſtillationem *oleorum eſſentialium* monet, vt vegetabilia ante deſtillationem ſextuplo vel octuplo aquae, quae de eodem vegetabili prius elicita fuerit, macerentur, addita vel ſalis culinaris, vel ſpiritus ſalis acidi, quantitate ſufficiente, et praegreſſa maceratione pro cuiusque vegetabilis natura vel protracta, vel expedita, oleorum inprimis grauiorum deſtillatio humilioribus cucurbitis, vel vaſe retorto inſtituatur.
Quam LUDOLFFUS propoſuit methodum *per deſcen-* p. 344.
ſum, caloris ſolaris ope e duplici cucurbita deſtillandi oleum *hyperici* et quae reliqua ſunt, ea Cl. Auctori, qui cum *roſis* experimentum inſtituerat, non ſucceſſit: hoc modo tamen optimam ex roſis

accepit aquam roſarum. Vt *oleorum empyreu*
corum multifaria cuitetur rectificatio, obſeruand
eſſe ait, vt in eorum deſtillatione non vlterius c
tinuetur, quam eousque, donec oleum non pelli
dum tranſit, vaſe recipiente tum ſtatim muta
deinde autem horum oleorum rectificatio po
inſtituatur ita, vt per infundibulum longiori co
praeditum, in nouam inſtilletur retortam, cau
do tamen, ne aliquid ad latera colli retortae adh
reat, et demum moderato igne inſtituatur deſti
tio, et abiicatur tam id, quod primum prodi
aquoſum, quam quod vltimo ſequitur craſſum,
lendo vas recipiens, dum color olei tranſeuntis
obſcuriorem mutari incipit. Hac methodo ter q
terue repetita, aut nouis vaſis, aut iis optime pu
catis applicatis, oleum tam bonae indolis euad
ait, ac ſi alio modo vigeſies eſſet rectificatum.

Salia plantarum inter ſe ratione olei, acidi
ratione ſalium eſſentialium, vel acidorum, vel me
rum in plantis contentorum differre ratur: attam
ob id ipſum non committit, vt horum ſalium ma
cohors in officinis ſeruetur; plantarum enim vi
tem ait hiſce in productis maxima ex parte m
tam ac ignis vi deſtructam reperiri. Ea ſalia, q
TACHENIANA parantur methodo, ſaponacea m
ſunt et ad mediorum ſalium naturam accedunt p
pius, quam quae *vulgari methodo* parantur; h
enim magis alkalina et cauſtica fiunt. Igitur h
plantarum ſalia inter ſe differunt pro diuerſa eo
praeparandi methodo, ita tamen, vt olei em
reumatici adhaerentis maior vel minor copia, p
cipuam ſiſtat eorum differentiam. *Sodam cryſtal*
tam adhibendam eſſe ſuadet in officinis ad pra
rata varia, quibus addi ſolet, et *ſalia volatilia* tu
eſſe per ſe rectificanda, quam additamento quod
vt *cretae* aut *oſſium calcinatorum*; inquinari enim

impu

impuriora fieri additis hiſce rebus nominata ſalia. Iam modo nec *ſal volatile* de *ammoniaco ſale*, addita *creta* vel *calce*, in vſus medicos eſſe ſublimandum, ſed addito puriori potius *alkali fixo*. Non neceſſe eſt, vt in deſtillatione *ſpiritus ſalis ammoniaci vrinoſi* calx adhibeatur *viua*, ſiquidem etiam *calx extincta* ſpiritum eundem reddit, immo fortiorem exhibet, quam ſi *calx viua recens* ſumta ſit. Neque opus eſſe p. 349. in officinis *aqua forti*, nec duplici, nec ſimplici, quum ad quae adhibentur metallica praeparata, eadem, vel abeſſe tuto poſſint, vel ſolo *ſpiritu nitri* obtineri. Acetum *frigore concentratum* ei praefert, quod euaporatione concentratum ſit. *Salia media* ea ſolum in pharmacopoliis reſeruanda autumat, quae facile a ſuceis, noſtro in corpore contentis, ſolui poſſunt: hanc ob cauſam ex officinis proſcribit *tartarum vitriolatum*, et *arcanum duplicatum*. Ad parandam *naphtham vitrioli* ſuadet, vt ad *olei vitrioli* partem vnam, ſumatur *anatica*, aut ad ſummum, ſi oleum vitrioli nimis forte fuerit, *dupla* pars ſpiritus vini rectificatiſſimi, haec inter ſe mixta *digeſtioni* exponantur per longum temporis ſpatium protractae, et deinde deſtillatio lentiſſime ſuſcipiatur, *lampadis igne* inſtituta: ſub ipſa denique deſtillatione, vas *recipiens* tum demum ſit mutandum, cum odor percipiatur *ſulphureus*, *pinguioresque ſtriae* in collo retortae ceſſauerint. Sic etiam *naphtham nitri* ex aequalibus *ſpiritus nitri* et *ſpiritus vini* partibus parare docet, cautionibus indicatis, quae ad hunc actum ſint neceſſariae. *Spiritum Nitri dulcificatum* ex *ſpirit. vini* part. II. et *ſpirit. nitri* part. I. meliorem obtineri ait ſola *digeſtione*, quoniam hoc modo et naphtha et oleum nitri in eodem retineatur, deſtillatione alioquin pereuntia.

Aethiopis mineralis praeparationem *frigide* per- p. 354. actam ei praeparationi praefert, quae calide ſuſci-

pitur, duplicemque cauſam exhibet, cur is vermes pellere poſſit, quarum altera in mercurio ipſo poſita, altera autem hepati ſulphuris adſcribenda eſt: putat enim, vix exiſtere poſſe vermes ſine putrido alkalino liquore in ventriculo ſimul praeſente, hoc autem decomponi aethiopem mineralem et foetidiſſimum hepatis ſulphuris odorem excitare poſſe. Ad *cinnabaris* praeparationem aethiops min. calide componi poteſt ex *mercurii viui* part. VI, et ſulphuris part. I, priusquam autem ſublimatio ſuſcipiatur, abundantis ſulphuris deflagratio aut euaporatio, in crucibulo, praemittenda eſt. *Cinnabaris coerulea*, quae etiam vocatur *mercurius diaphoreticus* ASTRUCI, quaeque ex X part. aethiopis mineralis et ſalis ammoniaci part. III ſepties ſublimatis componitur, idem fere eſt, quod *panacea mercurialis nigra*, quam NEUMANNUS a mercurio, ſulphure et ſale ammoniaco reſublimatis praeparari aſſerit. De huius praeparati peculiari virtute Cl. Auctor omnino dubitat, illudque *florum ſalis ammoniaci aethiopicorum* nomine inſigniuit. Iam tradit *mercurii praecipitati rubri* confectionem, eumque non iniuria mercurium corroſiuum rubrum appellat; ex quo cum ſpiritu vini digeſto, et poſtea abſtracto, *arcanum corallinum* obtinetur. *Arcanum corallinum Wurtemb.* idem eſt ac ille puluis, qui ab aliis *puluis principis* vocatur, multumque conuenit cum mercurio praecipitato fuſco. *Mercurius praecipitatus albus* mitior et maiori in copia obtinetur, ſi mercurius ex ſpiritu nitri *alkali volatili* praecipitatur, quam ſi eius praecipitatio *muria ſalina* fuerit peracta: ceterum his optat Cl. Auctor, vt et Medici, et Chirurgi, non tam ad huius praeparati colorem reſpectum habeant, quam eius vſum perpendant, acrioribusque mitiora et tutiora praeferant, velintque eo reſpicere, vt *praeparata mercurialia ſalina* in officinis bene abluantur,

abluantur, et ſpiritu vini digerantur. Mercurium p. 357.
praecipitatum viridem, turpethum minerale et mercurium per ſe praecipitatum, vt praeparata nullum vſum habentia, nec vllo modo neceſſaria, ex officinis releganda eſſe cenſet: attamen a turpetho minerali cum ſale marino mixto, et facile et ſecure *mercurium ſublimatum* confici poſſe ait. Optime *Mercurius dulcis* praeparatur, ſi mercurius viuus ea in quantitate cum ſublimato coniungatur, vt viui mercurii portio quantitate excedat potius, quam deficiat; dulcificatio enim non in repetita conſiſtit ſublimatione, ſed in accurata proportione *mercurii* ad partes ſalinas poſita eſt: hinc mercurii viui proportio ad mercurium ſublimatum ad partes ſex et eo amplius augeri poteſt. *Kermes minerale* in eo differt a ſulphure antimonii aurato, quod plus metallici vna cum ſulphure contineat. Quod ad *ſulphur auratum* attinet, perinde eſt, ſiue illud a ſcoriis reguli antimonii ſimplicis, ſiue a ſcoriis reguli antimonii martialis, primae fuſionis, vel a ſcoriis, quae obtinentur, ſi antimonii crudi p. I. cum ſalis alkalini p. III. fundatur, fuerit praecipitatum: maior autem in eo differentia deprehenditur, ſi vel mitiori vel fortiori acido eius praecipitatio fuerit facta: tenuius enim ſulphur leniori acido, craſſius vero fortiori decidit. Illud ſulphur, quod cremore tartari praecipitatur, *panacea Conerdingiana* vocatur, et prae reliquis aeſtimandum.

Diſput. XVI. *De incongrua medicamentorum mix-* p. 364.
tura. Hac in diſputatione Cl. Auctor vitiis iis occurrere vult, quae vulgo in formulis componendis praeſcribendisque committi ſolent, quaeque et rerum mixtarum indoli, et ſanae theoriae chemicae repugnant. Qua de re diuerſos modos enarrat, quibus haec medicamentorum compoſitio peruerſa

et

et minus idonea euadat, omnemque rem exemplis illuſtrat. 1) Incongrua iudicatur eiusmodi compoſitio, in qua ea miſcenda ac ſoluenda praeſcribuntur, quae per ſe miſceri vix poſſunt. Sic male oleum amygdalarum, balſama et naphthae cum *aqua* miſcentur; niſi his additum fuerit medium quoddam corpus, horum combinationem promouens, ea potius ſeorſim praeſcribenda.

2) Cauteatur, ne eiusmodi ſoluenda praeſcribantur, quae menſtruo, vel ad quantitatem, vel ad modum praeſcripto, ſolui non poſſunt. Huc pertinent: Cremor tartari, Arcanum duplicat. et tartarus vitriol. potionibus admixta, quippe quae vix ad partem in iis ſoluantur: porro admixtio ſulphuris, ſuccini, et caeterorum reſinoſorum corporum, infuſis ſeu decoctis aquoſis, et gummoſorum contra cum ſpirituoſis combinatio. Dubitatur, an camphora, quae ineſt in *Aqua vitrioli camphorata Londinenſi*, a praeſcripto menſtruo ſolui poſſit.

3) Vitio eſt vertendum, ſi mixta vel ob inſolubilitatem, vel ſimul, etiam ob eorum grauitatem, ſponte ſeparantur: hinc neque Mercurius dulcis cum ſyrupo tenuiori miſcendus, neque alii puluores grauiores, liquidis limpidis admixti, aegrotantibus propinandi: fundum enim petunt, et quamuis quaſſando eleuari digerique poſſint, tamen doſin incertam reddunt. Eandem ob cauſam, *metallica* electuariis non admiſceri debent, neque ob oleoſi ſeparationem emulſionibus *acida*.

p. 369. 4) Neque recte miſcentur, quae mixtura ipſa, aut coctione, alienam indolem induunt, vel conſiſtentiam adſumunt plus minus noxiam. Si ſal ammoniacum cum ſalibus lixiuioſis commixtum, vel aliis calcareis, vel lapidoſis rebus coniunctum fuerit, decomponitur et ſal volatile dimittit; aluminoſa lixivioſis mixta vrinoſum produnt, et boli aliaeque terrae

terrae argillaceae cum acidis aluminoſam adſciſcunt indolem, et quae reliqua ſunt.

5) Vitatur ea inter ſe rerum compoſitio, quae ſit ad fermentationem et aceſcentiam prona: qua de re limatura martis non coniungenda neque cum conſeruis, neque cum tamarindorum pulpa.

6) Male etiam commiſcentur, quae tetrum odorem mixta ſpargunt, vt alkalina cum corporibus ſulphureis. Refert omnino ad malas formulas eas, in quibus neque menſtrui quantitas accurate definita, neque tempus ac caloris gradus ſub digeſtione determinata fuit. Pari modo vituperandus qui plus menſtrui requirat, quam quod ad rem ſoluendam requiritur. Hinc parum efficacitatis ineſſe in *aqua alexiterica* tum *aquoſa* tum *ſpirituoſa Londinenſium* dicit, quoniam in vtraque menſtruum quantitate excedat. Idem quoque vitium occurrere ait in *Elixirio paregorico Lond.* ex quo commode libra vna ſpiritus vini abeſſe poſſit. Vituperat porro in *elixirio acido Lond.* acidi vitrioli quantitatem, omnem omnino neceſſitatem ſuperantem. Peccant etiam ii, qui pretioſius menſtruum viliori praeter neceſſitatem ſubſtituunt: vt, qui decocta aquis deſtillatis perficienda eſſe putent, quae tamen ſub coctione omnem vim perdunt, aut qui alcahol vini praeſcribunt, vbi ſpiritus vini eundem, imo meliorem aliquando praeſtare poteſt effectum, e. g. in quibusdam tincturis. Quin et hoc in vitio eſt, adhibere p. 374. medicamenta et praeſcribere in formulis fruſtranea, vt in *Elixirio proprietatis*, quod occurrit in *pharm. Holm. antiqua.* Fruſtra enim illud duplici menſtruo paratur, quum tamen ſpiritus vitrioli dulcis idem praeſtaret. Pari modo *vinum aloëticum Lond.* cui adiectum eſt ſal alkalinum fixum et ſal ammoniacum, idem praeſtaret, et eundem exſereret effectum, ſi alkali volatile in eius locum ſufficeretur etc.

Ad

Ad incongruas mixturas omnino etiam pertinet, ſi plurima congeruntur, quae poſt praeparationem ad homogeneam reducuntur naturam, ſi illud pauciori-bus obtineri poteſt. Exempli loco mithridatium, ex tot tamque diuerſis ſpeciebus compoſitum affert, in quo parando, cum ad fermentationem aceſcentem ſpectandum, eiusque praecipua vis opio ac melli fermentato adſcribenda ſit, illud certe minori rerum numero comparari ac perfici poteſt, et quae ſunt reliqua a Cl. Auctore prolata exempla. In formulis denique ineptum omnino iudicandum, ſi eadem remedia repetita contineant, aliis ſub titulis, vel nominibus in vna eademque formula occurrentia, aut ſi in quibusdam formulis, praeparationis ordo inuerſus reperiatur.

p. 384. Diſput. XVII. *De Cinnabaris in corpus humanum effectu.* Vt litem componeret, agitatam et olim et nunc, ſuper Cinnabaris in corpus humanum agendi vi, non modo cinnabaris varia genera enarrat, et eorum analyſin conficiendique rationem nobiscum communicat, verum etiam notitiam auctorum eorum nobis tradit, qui cinnabarim aut diuinis laudibus ornauere, aut illam plane reiiciendam et e medicamentorum vtilium numero expungendam
p. 393. putauerunt. Hiſce praemiſſis, Cl. Auctor in eo verſatur, vt experimentis omni diligentia cum cinnabari inſtitutis, definiat, quaenam potiſſimum menſtrua aptiora ſint ad eam vel decomponendam,
p. 397. vel ſoluendam. Cum autem ex allatis experimentis omnino appareat, cinnabarim extra corpus humanum ab oleoſis et ſaponaceis ſolui poſſe, concludere poſſe ſibi perſuadet, eandem quoque ſolutionem, ad partem ſaltim, in corpore ipſo, a liquoribus in ventriculo et inteſtinis hoſpitantibus et ad ſaponaceam indolem accedentibus, calore et motu ibidem

dem adiutis perfici poſſe. Quae, ſententia vlterius adhuc confirmatur ex eo, quod vſus cinnabaris, per aliquod tempus protractus, ſaliuationem excitarit. In ea nulla ineſt abſorbendi vis, vt quidam puta- p. 400.
runt: acida enim cum ea combinata et tractata, de ſua aciditate nihil, neque de ſua indole quicquam perdidere. Excellit potiſſimum in ea vis antiſpasmodica, cephalica, et neruina, gaudetque ſingulari ſoluendi potentia. Quare in glandularum infarctibus, lymphae vitiis, artuum doloribus, in omni denique viſciditate ac impuritate humorum, egregio cum effectu ſaepiſſime data fuit.

Diſput. XVIII. *Analyſin et ſyntheſin pulueris la-* p. 403.
xantis D'AILHAUD *ſiſtens.* Puluis ille, cuius inuentionis gloria debetur Dn. Doctori IOANNI AILHAUD, *Conſiliario aulico, et regi a ſecretis, medicoque vrbis Aquisgranenſis Gallorum,* non ſolum circa annum MDCCLXI. inſignem conſecutus erat famam, verum etiam ſuo inuentori, 400000 huius pulueris doſes quotannis conficienti et vendenti, doti erant altili et opimae. Et quanquam hoc medicamentum noſtris temporibus, partim ob eius incertam et periculoſam operandi rationem, partim ob doctorum virorum eius vſum diſſuadentium, omnem laudem fiduciamque omnem perdidiſſe videtur, tamen ſunt, qui illud non ſolum hinc inde adhuc commendent, ſed etiam teſtentur, ſe in deſperatis morbis interdum egregios ab eius vſu vidiſſe effectus: quapropter omnino huius medicamenti curatius ſcrutinium, eiusque intimior definitio perneceſſaria eſſe videtur. Singuli pulueres, doſin vnam continentes, ponderis ſunt drachmae vnius, coloremque habent fuſcum, non abſimilem ei, qui eſt caffeae toſtae. Deprehenduntur interdum conglutinati, chartamque, qua inuoluuntur, flaueſcente tingunt colore.

colore. Dulcem ſpargunt odorem ac reſinoſum, habentque ſaporem nauſeoſum. Aëri liberiori expoſiti, cohaerere deſinunt, fiuntque humidi et magis in grana coëunt.

p. 412. Nolumus hic vlterius experimenta repetere atque examina, quae cum iſtis pulueribus ſumma cum induſtria Cl. Auctor inſtituit, euentum potius ex his, et concluſionem ex praegreſſis phaenomenis euictam, proponemus. Igitur compoſiti ſunt hi pulueres ex oleoſis toſtis, et, vt clarum eſt, e ſaccharo toſto, ex alkalinis, reſinoſis et ex aliqua ſulphuris particula. Baſin autem huius pulueris conſtituit ſal ſodae, et ſaccharum toſtum. Haec duo corpora, cum inter ſe commixta, aëri expoſita, liquescant, adeoque pulueris formam eludant, opus eſt, vt vtrorumque quantitas accurate definiatur. Et profecto ſucceſſit egregie Cl. Auctori quantitatis inueniendae conamen: reperit enim, ſi ſalis ſodae drachmae duae cum ſacchari vnciis quatuor in aqua ſoluantur, et hae inter ſeſe commixtae ſolutiones ad ſiccitatem eius vsque inſpiſſentur, puluerem remanere, qui et colore et odore et ſapore *Ailhaudianum* illum puluerem adaequaret. Et quamuis ille puluis, aëri expoſitus, aliquam adhuc procliuitatem in deliqueſcentiam redoleat, illa tamen ceterarum rerum, quarum mentionem ſtatim facturi ſumus, admixtione, tolli omni ex parte poſſit, conſtituitque re ipſa celebrati illius pulueris baſin. Ex multis nunc inter ſe factis commixtionibus experiendi gratia inſtitutis, comparatione et effectu horum puluerum ſedulo explorato, ſequentem *Ailhaudini pulueris* nobiscum communicat formulam:

Rec. Baſeos ſeu excipientis ſupra nominatae Vnc. II.
conteratur quam ſubtiliſſime cum
Pulueris *toſti* rad. Ialappae Scrup. XVI.
— —. Ipecacuanhae ſcrup. XI. ad XII.

Diagrydii

Diagrydii ſulphurati, vel per ſe, vel
in decoct. Tamarindor. ſoluti ſcrup. XIX.
ad XX.
His interdum addi poſſunt, ſem. coccogn. to-
ſtor. gr. XXXII.

M. diuidantur in XXXII. partes aequales. Haec omnia ſub inſpiſſationis fine in praeparando excipiente, addi, ac commiſceri poſſunt.

II.

IOANNIS IACOBI DE WELL, philoſophiae Doctoris et Profeſſoris hiſtoriae naturalis, Apologia doctrinae Blackianae de aëre fixo, contra obiectiones, editas a IOANNE CHRISTIANO WIEGLEB, pharmacopoeo in Langenſalza, de germanico in latinum translata, et ſupplemento aucta. Viennae Auſtriae 1771. 8 mai. p. 152. Itemque, eiusdem Auctoris Examen cauſae incaleſcentiae calcis viuae, cum epicriſi, de materia ignis, tanquam cauſa incaleſcentiae huius propoſita, de germanico in latinum translatum, et ſupplemento auctum. Quibus accedit: IGNAT. IOSEPHI LANGMAIER Szakolza Hungari ſupplementum in praemiſſos libellos ſuper aëre fixo et cauſae incaleſcentiae calcis, Auctoris conſenſu elucubratum, et editum Viennae Auſtriae, typis Ioſephi Gerold, aulae imperialis typographo 8 mai. p. 352.

Neminem fere doctorum virorum fugere poteſt, Blackianam ſuper explicanda calcis cauſticitate theoriam in eo potiſſimum niti, vt is cauſticitatem calcis ab aëris fixi abſentia in calcario cru-

do neceſſario praeſentis deriuandam eſſe putet; contra autem Meyerianam in eo conſiſtere, vt ſibi perſuadeat, cauſticitatis cauſam ab acido pingui eſſe repetendam. Harum ſententiarum alterutra ſuos adſentatores aeque, ac aduerſarios habuit, qui eiusmodi argumenta acuta proferebant, vt, pro qua ſibi ſtandum foret, an earum amplectenda aliqua, aut vtraque eſſent reiicienda, non poterat non, quin dubius haereret aequus veritatis indagator. Fauerunt quidem aliqui, inter quos Cl. CRANZIUM et WIEGLEBIUM nominaſſe ſufficiat, Meyerianae ſententiae, at multi alii aut Blackianae ſeſe dederunt, aut tranſire in diuerſam coeperunt. Cl. WIEGLEBIUS praeſertim id in ſe ſuſcepit negotii, vt Meyerianam theoriam defenderet in libro ſingulari *). Huius defenſionem Cl. DE WELL hoc ſuo in opere, quod primum diuiſum, germanico idiomate prodibat, disquirit, adductaque ab illo, ad BLACKII doctrinam impugnandam argumenta, ponderat, ac ſic ſine omni partium ſtudio, ſolaque veritate impulſus, et experimenta experimentis opponens, de huius rei aut veritate aut falſitate decernit. Indicemus igitur breuiter horum librorum ſummam, et cum lectoribus noſtris communicemus.

Quod ad primum librum attinet, qui inſcriptus eſt *Apologia* etc. probat, Cl. DE WELL contra MEYERUM et Cl. WIEGLEB, acidum pingue aſſumentes, lapidem calcareum crudum calcinatione, inſtituta illa in vulgari igne, non egere, ad acquirendam dotem cum aqua incaleſcendi; id quod ſequentibus
Sect. I. experimentis demonſtrat. Expoſuit nempe foco ſpe-
p. 3. culi cauſtici *Vilettiani* calcareum crudum, qui non ſolum ſtatim vrebatur, ſed etiam nulla in re ab iſta calce

*) IOH. WIEGLEB'S *Vertheidigung der Meyeriſchen Lehre vom* acido pingui, *gegen verſchiedene dawider gemachte Einwürfe. Alzenb.* 1770. gr. 8.

calce vſta differebat, quae conſueto more calcinata fuerat. Repetiit idem experimentum eodem cum felici euentu, coram teſtibus fide digniſſimis, cum diuerſis lapidum calcareorum ſpeciebus. Quo autem facilius ſe ab omni negligentia purgaret, effugeretque omnibus obiectionibus futuris, aliud praeterea experimentum inſtituit, praeſentibus teſtibus pergrauibus. Poſuit nimirum vas globoſum vitreum, quod ſex aquae menſuras capere poterat, et ad collum vsque repletum erat, hoc modo inter ſpeculum cauſticum et focum, vt conuergentium radiorum conus mediam per aquam penetrare, atque ad paucorum pollicum a vaſe diſtantiam formare focum cogeretur: et obtinuit hac methodo aeque, ac per communis ignis vim, calcem viuam, quae perfecte et vſta et cauſtica erat. Haec duo experimenta ſatis fuiſſent ad euertendam penitus doctrinam de *pingui acido:* attamen plura adhuc eaque ſatis valida inſtituit experimenta, ex quibus apparet, *acidum pingue* ad lapidis calcarei mutationem in calcem veram poſſe omnino nihil conferre.

Sectio II. Secundum Cl. WIEGLEBII obſerua- p. 39.
tionem, vna calcis libra aquae communis libris ſexies centum affuſa, plane ſolui debet: de cuius aſſerti veritate Cl. Auctor cum dubitaret, rem ipſe adgreſſus eſt. Quare recentis et intime vſtae calcis drachmam vnam pedetentim exſtinxit in vnciis duabus cum dimidia aquae puriſſimae, hancque affuſionem cum eadem aquae quantitate repetiit ad trigeſimam vsque vicem, quamdiu nempe aqua decantata turbabatur ab inſtillato oleo tartari p. d. Praecipitatum hac ratione obtentum, ponderauit ſiccatum triginta octo grana, terra autem ea, quae ab illa calcis drachma inſoluta relinquebatur, quadraginta grana pependit. Totam hancce operationem intra octo horarum ſpatium abſoluit, cum

contra MEYERUS per ſex ſeptimanas calcis libram ſeſquiurna aquae ſenſim ſuperfuderit, et tamen ad quatuor vsque vncias et drachmas ſex terrae calcareae inſolutae ſuperſtites habuerit.

p. 55. Sectio III. Quaerenti WIEGLEBIO, vnde oritur calor, dum exſtincta penitus calx in ſpiritu nitri ſolvitur? et cur calor contra non oritur, dum calcareus crudus in ſpiritu nitri ſoluitur, vbi magna tamen obſeruatur ebullitio? Cl. DE WELL reſpondet; calorisque cauſam ab aqua ea repetendam eſſe ait, qua vulgaris ſpiritus nitri abundat. Recens enim calx vſta ſpiritu nitri fumante ſuperfuſa, motum quidem et denſos vapores oſtendebat, attamen ne minimus caloris gradus percipiebatur in vitro, cui mixtum illud inerat: inſtillatis autem mox guttulis aquae, omnia extemplo quaſi ebullire, ſpiritus calcem vehementius adgredi, et vitrum ipſum incaleſcere coepit.

p. 73. Sectio IV. *Praecipitatio calcis ad aërem.* Secundum experimenta a Cl. MACBRIDE inſtituta, dum per tubulum vel in aquam calcis, vel in lixiuium cauſticum aut ſpirit. ſal. ammoniaci cauſticum, aër flatu adigitur, debet cauſtici ſeparatio fieri, atque euenire, vt, ſi iſte flatus aliquamdiu protrahatur, per eum omnis ex aqua calcis terra calcarea deiiciatur, cauſticum autem lixiuium poſtea et ſpiritus ſalis ammoniaci cum acidis promtius efferueſcant.

p. 78. Sectio V. de praecipitatione aquae calcis per
p. 90. ſales alkalinos agit: in ſectione VI. de ſolutione ſul-
p. 100. phuris per aquam calcis exponitur: ſect. VII. mercurii de ſolutione ſua cum aqua calcis praecipitationem, et octaua ſectio generationem cauſtici, dum calx viua alkalinis ſalibus admiſcetur, pertractat, in qua ſimul experimentis probat, non ſolum poſſe vulgari igne adhibito ex creta alba pura et ab omni arena liberata, ſi ea penitus vritur et adhuc calens exſtin-

exſtinguitur, acrem calcem parari, ſed etiam ope ſpeculi cauſtici idem praeſtari poſſe. Ad calcis vſtionem vulgari modo inſtitutam igni vulgari opus erat validiſſimo, eoque ad nouem vsque horas protracto. Praeterea refutat eos MEYERI aſſeclas, qui ſalem cauſticum pro vero medio ſale habent.

Sectione nona probat, ſales non ſolum volatiles cauſticos, ſed etiam alkalinos fixos, ſolutam de acidis terram calcaream praecipitare, dummodo ea ipſa acida perfectiſſime ſint ſaturata. p. 111.

Sectione X. refutat Cl. WIEGLEBIUM, qui acidi pinguis praeſentiam ex vaporum adſcenſu demonſtrare annititur, qui enaſcuntur, dum calx viua ſuperfunditur aqua aut ſpiritu vini debiliori, aut acido diluto, opponitque ei vapores exeuntes ex aqua feruida aut remixta ea cum oleo vitrioli, in quibus tamen nullum acidum pingue ineſt. p. 127.

Sectione denique XI. contra Cl. WIEGLEBIUM dicentem: ſpiritum ſuum cauſticum propterea ſemper forma fluida ſiſti, quoniam acidum pingue, quod e calce extricatum eſt, ſales alkalinos, tum fixos, tum volatiles, ad fluidam naturam diſponat: quemadmodum acetum (acido pingui affine) cum iisdem hiſce ſalibus; acidum ſalis cum terris abſorbentibus, ſed praecipue cum quibusdam metallis, id ipſum praeſtare conſueuit, monet atque teſtatur, ſe non ſolum ex alkali cum aceto combinato cryſtallos ſiccas obtinuiſſe, ſed etiam experimentis inſtitutis extra omnem dubitationis aleam poſuit, non omnem ſpiritum ſalis ammoniaci ex facta miſcela ſpiritus cauſtici cum ſolutione lapidis calcarei in acido ſalis perfecte ſaturata, in aëra emigrare, ſed partem eius omnino cum ſpiritu ſalis in verum ſalem ammoniacum combinari. p. 139

Alter liber, qui inſcriptus eſt: *Examen cauſae etc.* vtilium quoque et obſeruationum et experimentorum eſt plenus. Fatetur, vt dicit Cl. Auctor, Experientiſſimus D. D. BUCHOLZ poſt haec experimenta a ſe cum ſpeculo cauſtico inſtituta, doctrinam de acido pingui amplius defendi non poſſe; attamen cum adſumat adhuc principium aliquod quaſi cauſticum, latitans iam in ipſo lapide calcareo crudo, quod in eo lapide ſiue per ignem vulgarem, ſiue ſolarem, quodammodo primum figatur: allegat BLACKII obſeruationem, ſecundum quam etiam ſine ignis praeſentia calx vera parari poteſt, dum nempe in acido ſalis ſoluta creta ope lixiuii cauſtici forma verae calcis inde excutitur. Cum autem Cl. Auctor credat, quosdam hocce experimentum ita eſſe explicaturos, quaſi hoc in proceſſu lixiuium cauſticum ab acido ſalis deferatur, iſtudque ſe praecipitatae terrae calcareae nectat, quam poſtea vel
p. 162. ideo calcem eſſe oporteat: obſeruationibus hunc in finem inſtitutis rem magis illuſtrat, probatque, cretam cum concentrato cauſtico lixiuio miſtam, ſi ei ſpiritus ſalis ſuperinſtilletur, ſemper cretam manere, nulloque modo cauſticam indolem adſumere, etiamſi minima cretae et maxima lixiuii ſit portio.

p. 167. Phlogiſton Ipſi videtur eſſe principium inflammabile, quod accedente cauſa extrinſeca, deductis in motum particulis, ignem producat manifeſtum. Etiam ſine phlogiſti praeſentia, per motum calor quidem excitari, ſed nulla flamma produci poteſt. Calx, quae aëri liberiori per longum temporis ſpatium fuerit expoſita, omnes ſuas proprietates ita penitus amittit, vt nullo modo in eo caſu, vbi calce
p. 188. viua opus ſit, adhibere amplius poſſit. Terra calcarea cruda ex regno animali deſumta, ſi in acido quodam ſoluitur, ex eo per ſalem alkalinum praecipitatur, et hoc modo a phlogiſto ſuo plane orba-

-tur,

tur, ignis ope in acerrimam cauſticam calcem mutari poteſt. Porro ex ſerie experimentorum a ſe ſedulo inſtitutorum colligit: non eſſe calci de eſſentia proprium, quod cum aqua incaleſcat, ſed eſſe merum accidens, quod a maiore vel minore particularum calcis cohaeſione ante eius exſtinctionem repetendum ſit. Hic enim calor non in omni calce percipitur, poteſtque maxima ex parte frangi et aboleri; nam ſi creta in ſpiritu nitri ſoluitur, et per ſal alkali praecipitatum obtentum, probe deinde abluitur ab omni ſalina impuritate, redigiturque in furno anemio in calcem, haec tali modo vſta calx, cum aqua communi vix perceptibilem calorem excitat. Pari modo calx venalis more ſolito in aqua exſtincta, ſi per aliquod tempus haec miſcela immota ſteterit, et puluis inde ſubſidens bene ſiccatus rurſus in calcem vritur, omnes verae calcis proprietates denuo aſſumit, praeterquam quod nullo modo, in aquam miſſa, cum eadem incaleſcat. p. 194.

Cl. LANGMEIERI denique adnexa ſupplementa, bene ſcripta et elegantiſſimis obſeruationibus ditata, lectuque digniſſima inuenimus, in quibus ea, quae a Cl° DE WELL relata ſunt, magis adhuc confirmantur, adiectisque exemplis tum a ſe ipſo, tum ab aliis viris in arte peritis deſumtis, illuſtriora fiunt.

III.

Contre-poiſſons de l'Arſenic, du Sublimé corroſif, du Verd-de-gris et du Plomb. Suivis de trois Diſſertations intitulées: La premiere, Recherches Medico-Chymiques ſur differens moyens de diſſoudre le Mercure etc. La ſeconde, Expoſition de differens moyens d' unir le Mercure au Fer, etc. La troiſieme,

Nouvelles Obſervations ſur l' Ether, etc. Par M. PIERRE TOUSSAINT NAVIER. Tome Prem. Tom. Second. a Paris. Chez la Veuve Mequignon et fils Libraire, rue de la Juiverie en la Cité, et Didot le jeune, Libr. de la Fac. de Med. Quai des Auguſtins. MDCCLXXVII 12. T. I. plagg. 14. T. II. pl. 16¼.

i. e.

Antidota Arſenici, Mercurii ſublimati corroſiui, Viridis aeris et Plumbi. Sequuntur Diſſertationes tres, Prima: Indagationes medico-chemicae de diuerſis mediis Mercurium ſoluendi etc. ſecunda: Expoſitio variorum mediorum Mercurium Ferro vniendi etc. Tertia: Obſeruationes nouae de Aethere etc. Auctore PETRO TOUSS. NAVIER *).

Diu de Chemia et Medicina bene meritus Auctor, publico officio curandae ſanitati publicae adſtrictus, triſti familiae, ſex perſonis conſtantis, arſenico necatae exemplo impulſus dictorum venenorum, vt maxime pernicioſorum plerisque veneficiis occaſionem dantium, antidota publici iuris facere decreuit, inter quae praeſertim Hepata ſulphuris commendat, attamen de aliis quoque agit, et praeter huc ſpectantia, Medico haud exigui pendenda, curioſas quoque quasdam refert obſeruationes Chemicorum attentione dignas.

Tomi

*) Prodiit etiam verſio huius libri auctore Cl° WEIGEL, cum inſcriptione: NAVIERS *Gegengifte des Arſeniks äzenden Sublimats, Spangrüns und Bleies, überſezt von* D. C. E. WEIGEL. *Greifswalde*, 1782. 8.

Tomi primi, cui, Praefationis loco, NAVIERI filii T. I.
Epiſtola de venenis et antidotis in genere propoſi- p. 11.
ta eſt, *Pars prima* de *arſenico* agit, praemiſſa Facul-
tatis Medicae Pariſienſis Commiſſariorum relatione.
Relatis, quae ad conſcribendum Opus laudandum
impulſerunt, adductis argumentis (Cap. I.) de na-
tura et proprietatibus arſenici agit Noſter (Cap. II.)
metallicam calcem aſſerens, ab aliis indole vere ſa-
lina diuerſam, metallica parte et acida, vtraque vo-
latili, conſtantem, hac combinatione notorum ve-
nenorum corroſiuorum praeſentiſſimum, rodens,
ſphacelans. Sex homines arſenicum cum iuſculo p. 16.
aſſumentes, et poſt viginti quatuor demum horas
auxilium quaerentes omnes intra octiduum periiſſe,
vnico excepto, qui adhuc per duos menſes, ſed non
amplius, vixerit; Sectionem cadauerum docuiſſe p. 17.
ventriculi et inteſtinorum tunicas eſchararum, ve-
neno productarum, caſu deſtructas. Hinc de reme-
diis deleteriae arſenici vi infringendae aptis ſollici-
tus (Cap. III.) ſulphur ferrumque, ob magnam inter p. 18.
haec et arſenicum affinitatem, attentione digna
iudicauit, quorum vnio via ſicca in corpore viuo
effici non poſſet, humida conſideranda fuit, vnde
in hepata ſulphuris incidit, ac cum iis experimenta
inſtituit, quorum praecipua ſequentibus indicat.

Incepit Noſter ſolutionem arſenici aquoſam p. 20.
tentare (Cap. IV.), et comperit, aquae pluuialis vn-
ciam vnam e granis XII. arſenici, calore aquae ebul-
lientis, ſoluiſſe grana VI. ac reſidua gr. VI. alia vn-
cia aquae penitus ſoluit. Haec ſolutio refrigerio
non eſt praecipitata, guſtata initio mitem, aſt breui
poſt acrem, Ari foliorum recentium manducatorum p. 21.
inſtar prodidit ſaporem et aduſtionis ſenſum vltra p. 22.
diem reliquit. Putat praeterea Noſter antimoniale
quid in ſapore detegiſſe, indeque quaerit, num arſe-
nicum ſtibii partes contineat, an hoc illius portio- p. 23.

ni ſaporem debeat. Euaporata ad aërem ſolutio dicta reliquit cryſtallos, granulorum inſtar, albas, poſt paucos dies prismaticis ludentes coloribus,
p. 24. quos Noſter a reſiduo principio minerae cobalti tingente oriri putat.

Huius aquae arſenicalis vnionem primo cum Hepate ſulphuris alcalino, fuſione anaticarum ſulphuris et alcali lixiuioſi partibus parato, aqua ſoluto,
p. 25. tentauit Clar. Auctor. (Cap. V.) Solutiones calidae
p. 26. mixtae ſtatim lacteae euaſerunt, et poſt nyctheme-
rum album depoſuere ſedimentum, quod frigidae
p. 27. mixtae longe ſerius dederunt. Dupla affinitate, alcali fixi ſcil. et ſulphuris ad arſenicum hunc deberi effectum, quo vniones neutrales oriantur, arſeni-
p. 28. cum mutatae indolis continentes, pergit Noſter, qui in liquore reſiduo neque arſenici neque hepa-
p. 29. tis ſulphuris ſaporem vllum detegere potuit, et iterato experimento huius, e ceſſante foetore et liquore filtrato neque argentum denigrante nec cum aqua lacteſcente, inferre putauit decompoſitionem, illius vero portionem, alcalico ſale vnitam,
p. 32. in reſiduo liquore ſuſpicatur, quem igitur euapo-
p. 33. rationi commiſit, maſſamque obtinuit flauidam,
p. 34. tartari ſtibiati ſaporem in ore relinquentem, quo arſenici cum ſtibio analogiam confirmari putat, et vti huius, ſic et illius ſulphur cenſendum eſſe verum corrigens, quin adeo forſan inpoſterum exſpectan-
p. 35. da probatio, terram metallicam, quae regulinam arſenici partem efficiat, eandem eſſe cum antimoniali, quae forſan ſola volatilitate minori ac defectu principii acidi volatilis, in arſenico obuii, differat,
p. 36. confirmantibus analogiam, butyri antimonii cauſticitate, etc. ac in mitiſſimis acidis vegetabilibus ſoluti ſtibii vi emetica, vt adeo antimonium diaphoreticum cum cremore tartari dederit ſubſtantiam ſa-
p. 37. lino-gummoſam, purgante ac interdum emetica vi praeditam,

praeditam, idemque mercurii dulcis vim laxantem fortiorem reddiderit, id quod tranſeunti, a mercurio, ad ſtibii calcem, acido muriatico tribuens Noſter, miſcelam vtriusque aqua humectatam breui griſeam euadere vidit, indeque mercurium reuiſicatum eſſe et calci antimoniali acidum ceſſiſſe concludit. Obtenta euaporatione ſalina ſubſtantia aqua difficulter ſoluta, nauſeoſum, foliorum ſennae inſtar, p. 38.
oluit decoctum ſaturatum, e quo et memorato ſapore antimoniali reſiduas patere exiſtimat Noſter partes arſenicales, alcalico ſale tamen domitas ac nocere p. 39.
impotes. Reſiduus penes dictam ſubſtantiam liquor, ſaporis alcalici, poſt plenariam exſiccationem iterum deliqueſcens, addito acido vitrioli concentrato, ef- p. 40.
ferbuit, magma ſpiſſum citreo-flauum euaſit ac valide acidum, muriatici ſimilem emiſit odorem, quo acidi in arſenico contenti indolem reuelari putat. Clar. Auctor magma dictum in igne albido-flauum p. 41.
dedit ſublimatum, ſulphureum emittens odorem (forſan ab abundantis acidi praecipitantis vitriolici, cum phlogiſticis hepatis vel arſenici partibus,) ac in flamma candela cum debili ardens flammula, album ſimul eructans fumum in obuio frigido corpore verum puluerem arſenicalem deponentem. Similiter ſublimationi ſubiectae ſunt cruſtae ſalinae, euaporatione liquoris, a decompoſitione aquae arſeni- p. 42.
calis per hepar ſulphuris reſidui, obtentae, et dederunt ſubſtantiam flauido-albam arſenico paucoque ſulphure conſtantem, remanente vero tartaro vi- p. 43.
triolato, nunc ſaporis antimonialis, ob profugatum arſenicum, experte. Tandem quoque ipſum praecipitatum dedit ſublimatum luteum arſenicali-ſulphureum, vt ſic plenaria aquae arſenicalis per he- p. 44.
par ſulphuris patuerit decompoſitio et arſenici per huius, tam ſulphur, quam alcali, ſublata vis perniciosa.

Solum

p. 45. Solum ſal alcalicum (Cap. VI.) debilius agere viſum eſt, dum memorata proportione paratam ſolutionem arſenici aquoſam non praecipitauit ſic dictum oleum tartari per deliquium, hinc decom-
p. 46. ponere non viſum, quod tamen, dum ſapor corroſiuus penitus euanuerit, mitigaſſe ſaltem cenſen-
p. 47. dum. Hepar ſulphuris calcareum, e tribus calcis viuae partibus ac vnica florum ſulphuris, affuſa aqua, liquida forma paratum, dein cum aqua arſenicali tentauit ſimili, ac cum ſalino, modo (Cap.
p. 51. VII.) neque minus praecipitatio orta, mutato foetore hepatico in moſchi odorem, et tandem plenaria contenti arſenici, cuius ſolutionem per ſe in
p. 53. ſulphur non egiſſe, incidenter monet Cl. Auctor,
p. 54. deturbatio, vt praecipitata ſimiliter arſenicum ſulphuratum ſublimari ſint paſſa, liquidum vero reſiduum euaporatione dederit maſſam deliqueſcentem,
p. 57. omni ſapore metallico orbatam, ſalis ammoniaci
p. 58. fixi ſapore, vnde praeter perfectiſſimam arſenici deſtructionem, nouum contenti in illo acidi muriatici infert argumentum, et huic illius tribuit
p. 61. volatilitatem vimque corroſiuam. Comparato dein euaporati hepatis ſulphuris calcarei liquidi ſolius
p. 64. producto, et obtentis decompoſitae per iſtud aquae arſenicalis ac poſtea euaporatae ſedimentis parco ſublimato ſulphureo ac reſiduo puluerulento, diffi-
p. 66. cultèr in igne fumum arſenicalem emittente, abſque vllo tamen foetore alliaceo, et materiam relinquente carbonaceam, intimam infert Auctor Arſe-
p. 67. nici cum ſubſtantia calcarea vnionem et ex parte mutatam indolem.

p. 69. Deinde quoque aquam calcis ſolam cum aqua arſenicali miſcuit Noſter (Cap. VIII.), quae inde initio non mutari viſa, ſed paullo poſt ſublacteſcens euaſit, parcum deponens ſedimentum, vt itaque et haec antidotum arſenici habenda, modo debilius,

praeter-

praetereaque concentrata ac copiosa caustica nocitura, ingrata, interim addito lacte corrigenda, et tunc profutura, propinanda, vsque dum hepar sulphuris quoddam obtineri possit. Hepar sulphuris calcareum via sicca, cum anatica portione nitri et quarta parte testarum ostrearum, vel ouorum gallinaceorum, detonando, parare (Cap. IX.) docet, vbi quoque notatur, addito sale sodae detonationem validiorem insequi. Hic compertis quoque Ferri cum arsenico in vsum vertere studuit Cl. Auctor affinitatem, quam vt certus determinaret, (Cap. X.) pulueriſatum hoc cum duplo limaturae ferri, miscuit, parca aqua coëgit, et nycthemero elapso massam extus ferrugine tactam reperit ac aureo et caeruleo nitentem, igne sublimatorio sublimatum arsenicale largientem, super prunas allium redolentem, quo simili huius et phosphori odore analogiam acidi arsenicalis et muriatici confirmari putat, dum et in phosphoro acidum muriaticum assumit; sed cum aqua arsenicali in pastam redacta limatura ferri superficie quidem ferruginosa euasit, ast non variegata, et praeuia siccatione in igne adeo candens arsenicum non dimisit, vt itaque ferrum corrosiuum eius principium penitus videatur destruere. Hoc vt facilius propinaretur, hepate sulphuris soluere constituit Noster (Cap. XI.); ac cum via humida debilem effectum daret exspectandum, siccam elegit. Incepit detonatione anaticae sulphuris, nitri ac ferri limati, miscelae et obtinuit durissimam nigram massam, saporis acerrimi hepatici, quae pulueriſata et accumulata insigniter incaluit, non tamen ignem concepit, aqua ebulliente soluta, smaragdino illam tinxit, sapore, non odore, hepatico imbuit, quae solutio argentum immissum flauo, rubro, caeruleo, tandemque nigro tinxit, in lagena clausa asseruata post binas hebdomades martiale sedimentum

p. 72.
p. 74.
p. 75.
p. 76.
p. 79.
p. 81.
p. 83.
p. 84.
p. 85.

dimentum nigreſcens depoſuit, ſimul virore orbata, tantum tamen ferri retinuit, vt inſperſo gallarum puluere debili rubro tingeretur.

p. 86. Arſenicali aquae affuſa (Cap. XII.) viridis adhuc
ſolutio dicta, virorem ſtatim amiſit decompoſita,
deſidente puluere nigro, vnde vnita hepatis martia-
p. 87. que vi arſenicum impugnare viſa, quam et in ſe-
cundas vias penetraturam cenſet Cl. Auctor, ibique
veneni horrendi exſtincturam veſtigia, vti et variae
thermales aquae, reſidua ab aſſumtis venenis ſym-
p. 88. ptomata, tremores etc. ſubtili hepate contento tol-
p. 89. lant. Huic praecellere adhuc addita ſubſtantia cal-
carea paratum hepar martiale (Cap. XIII.) et ther-
p. 91. marum dictarum vices bene ſupplere, pyritas mar-
tiales cum nitro detonationi commiſſos etiam bo-
num dare hepar, ſimul cum tartaro vitriolato ſele-
p. 92. nitico, aſt tantum ſoluta forma dandum, ob duram
partis contentae metallicae indolem, pergit Noſter,
p. 94. qui dein fuſione (Cap. XIV.) aequalium ſulphuris
et alcali tartari partium cum dimidia ferri limati,
parare docet hepar, cuius ſolutio, aquae arſenicali
p. 99. admixta, abundantem effecit praecipitationem, licet
ferrum in illo minus diuiſum videretur, ac in antea
p. 100. memorato, detonatione parato; vtrumque vero
ferrum continere, orta ab inſperſo, poſt caſum
ſpontaneum ſulphuris abundantis, gallarum pulue-
re docuit rubedo, vti ſublata tunc vis argentum
tingendi demonſtrauit ſulphur itidem gallis praeci-
p. 101. pitari. (Cap. XV.) Harum igitur ſolarum in aquam
p. 102. arſenicalem tentata eſt actio (Cap. XVI.), quae vero
p. 104. parcum tantummodo deiecerunt ſedimentum, qua
occaſione hepatis martialis ope ex aqua arſenicali
obtenta praecipitata fuſca, igne valido ſublimatum
ſaturate luteum dediſſe et puluerem nigrum ma-
p. 106. gnete retractilem reliquiſſe referuntur, ac (Cap.
p. 107. XVII.) narratur caſus pyrophori ex ſodae depuratae

ac

ac lithanthracum anatica miſcela, in crucibulo clauſo ignita, obtenti, qui ipſi aquae iniectus, illi proprietatem, argentum flauo rubroque tingendi, impertiit. Sequenti capite (XVIII.) ſal alcalicum commendat, ad adiuuandam arſenici per ſolutiones ferri acidas decompoſitionem, quamuis ſolutionem martis aceto paratam ſolam iam aquam arſenicalem decomponere et abundanter praecipitare expertus ſit, vnde adeo atramentum vulgare, ob ortam in miſcela eiusdem cum dicta aqua praecipitationem, quae et cum vitriolo martis ſuccedat, contra arſenicum commendat, quod non timendum impune improviſo hauſti caſus docuerit. (Cap. XIX.) Saponem quoque tentauit Cl. Auctor (Cap. XX.), cuius ſolutio aquam arſenicalem non turbauit quidem, mitigauit vero, abundantiorique a ſuperaddita ſolutione ferri acetoſa, vel vitriolica, anſam dedit praecipitationi, hinc caſu neceſſitatis profutura. Lac demum, (Cap. XXI.) aqua arſenicali, quin, adeo ebullitionis calore, coagularetur, impeditum, ipſius acrimoniam imminuit, ſuperaddita hepatis calcarei ſolutione abundans dedit ſedimentum (Cap. XXII.), quod a ſalino martiali (Cap. XXIII.) parcius ſeriusque ortum martiali arſenicale, vt itaque inter acrimoniam arſenici mitigantia locum inueniat. Olea vero (Cap. XXIV.), cum v. g. oliuarum oleum, nonniſi ebulliendo arſenicum ſoluerint, addito hepate praecipitandum, et in ventriculo obuiis humoribus impediantur, parum promittere viſa ſunt, vti poſteriorem ob cauſſam quoque a Balſamo ſulphuris auxilium fruſtra exſpectari.

p. 108.
p. 109.
p. 112.
p. 113.
p. 117.
p. 118.
p. 120.
p. 124.
p. 126.
p. 129.
p. 132.
p. 135.

Abhortatur dein Cl. Auctor ab vſu arſenici ad vernices parandas (Cap. XXV.) et inutilem declarat ob alia, v. g. ad vſum veterinarium cauſticum potentiale mite ex oleo tartari per deliquium, calce viua, ſapone, floribus ſulphuris et aqua, mixtis, in ipſo

p. 136.
p. 141.
p. 144.

ipſo cancro iuuare compertum, ſuccedaneis ſuperfluum, hinc commercio excludendum (Cap. XXVI.) quibus peractis tandem arſenico venenatorum eu-
p. 147. rum exponit (Cap. XXVII.) praemiſſaque ſympto-
p. 149. matum narratione, quam primum fieri poſſit, lac, aquam alcaliſatam, ſaponem porrigere, interea acerſitum hepar, deficiente hoc autem, ſolutiones
p. 165. ferri acidas, vel atramentum propinare ſuadet, aci-
p. 168. dorum initio vſum vt et Theriacae diſſuadens, deſtructa veneni corroſiui actione laxantia, fomentationes, in ſtatu inflammatorio venae ſectionem, et
p. 174. ad curandos affectus remanentes ſpaſticos caet. balnea, narcotica lenia, diaetam lacteam iuncto aqua-
p. 176. rum ſulphurearum, vel, deficientibus his, dilutae
p. 178. hepatis calcarei ſolutionis vſu, commendans, omnium largiendorum tempus et conditiones determinans, ac, ob memoratam vtilitatem, vt hepar
p. 181. martiale in officinis pharmaceuticis aſſeruari iubeatur, optans.

Haud impari ratione *Parte ſecunda Mercurium ſublimatum corroſiuum* impugnare docet Noſter.
p. 185. Praemiſſis ſcil. generalioribus, de indole eius effectibusque (Cap. I.), quos alibi in peculiari diſſertatione vberius expoſuerat, de remediis actionem eius
p. 188. impugnantibus agit (Cap. II.), aquam, diluendo debilitantem additoque ſpiritu vini facilius plenarie ſoluentem, commendans, pinguia vero, vtpote aquae actionem impedientia, diſſuadens, alcalium
p. 191. vtilitatem ex lege affinitatis indigitans, aſt de oriun-
p. 194. do praecipitato corroſiuae vis non experte commonefaciens, ferri potius ſuadens tincturas alcalinas,
p. 196. qualem, cum ſtahliana vere talis non ſit, e boracis drachma vna cum dimidia aquae ebullientis vnciis duabus ſolutis, additis cremoris tartari drachma vna cum dimidia, vitrioli martis dr. duabus, ſuperaddita

addito ſalis ſodae alcalici ſicci vncia dimidia, parare docet, aquas martiales et ſulphur hepatis forma propinandum. p. 200.

Hepatum igitur praecellentiam prae alcalinis puris (Cap. III.) demonſtraturus, calcarei ſoluti ac ceſſu plenarie decompoſitam eſſe mercurii ſublimati ſolutionem refert, deorſum ruente praecipitato flavo albido, poſt nycthemerum nigro, ſ. aethiopis ſpecie, e qua ignis ſublimatorius flauam, ſuluam, rubentem nigramque, remanente terra hepatis calcarea, in altum vexit ſubſtantias, quarum prima candelae flamma expoſita ſulphureum et paullo poſt alliaceum, ſ. phoſphoreum emiſit odorem, cum flammula vireſcenti caeruleaque, remanente materia albida cuprum non dealbante, vti et nigra illa calefacta fumum album eructauit, cum odore phoſphoreo et flamma pulchra, partim viridi, partim caerulea, vt verum phoſphorum vrinae ortum putet Noſter, acidi muriatici cum phlogiſto qualicunque vnione, variis morbis commendandum; hepar ſalinum ſimiliter plenarie decompoſuit mercurii ſublimati ſolutionem, ac praecipitatum igne toſtum dedit reſiduum tartarum vitriolatum acido abundanti praeditum et ſublimatum itidem phoſphori ſimili flamma ardens, ſed absque fumo albo vel ſpiſſo, remanente terra albida, cum acido vitriolico non efferueſcente, quam ſalis alcalici ipſius parti decompoſitae deberi, cum praecedentis proceſſus reſiduo et probabiliter quoque cum illa eandem eſſe putat Noſter, quae phoſphorum vrinoſum ingrediatur additoque alcalico ſale ex vrinis copioſa deturbetur; Hepar tandem martiale non minus, ac praecedentia, efficax fuit, ſedimentumque ferrugineum ſublimatione itidem phoſphorei quid dedit, quod dein cum vrinario phoſphoro comparatur (Cap. IV.), qualem praeſertim ex p. 202. p. 203. p. 206. p. 208. p. 213. p. 215. p. 217. p. 221. p. 222. p. 229.

hepate calcareo aliquando purum obtineri poſſe ſperat Cl. Auctor.

p. 231. Vltimo capite (V.) dictis argumentis ſuperſtruens auxilium contra aſſumtum mercurium ſublimatum corroſiuum, aqua alcaliſata et hepate ſulphuris quodam, praeſertim martiali, afferendum, non neglectis poſtea, pro conditione aegri, antiphlogiſticis, demulcentibus balneis, fomentationibus, lubricantibusque mitiſſimis, v. g. caſſia, manna, oleo amygdalorum, vt omnia peregrina e canali alimentari euehantur.

p. 234. Sequitur *Tertia Pars*, *Viridi aeris* deſtinata. Expoſito periculo ab vſu vaſorum cupreorum, ſtan-
p. 239. no obductorum, ob latens in hoc arſenicum, vel
p. 246. additum plumbum, cuprumue, (Cap. III.) facileque, per vim acidorum, pinguedinum caet. ſoluentem, auferendum ſtannum, hinc denudandum cuprum
p. 252. ac aerugini contrahendae obnoxium (Cap. IV.) ahenorumque pariter cupreorum in noſocomiis
p. 255. ad iuſcula tepida ſeruanda vſitatorum (Cap. V.) timendo ſuccedanea proponit Cl. Auctor (Cap. VI.), ſcil. ahena lebetiformia (Caſſeroles) argentea,
p. 259. vel cuprea lamina argentea tecta, ferrea ſtanno
p. 260. obducta, vel e lamina ferri ſtanno obducta parata, terrea, non vero plumbi, ſed albo ſtanni diuite
p. 262. vitro obducta, ardenti igne ab abſorpta, ſub diuturno vſu, pinguedine liberanda, ahena maiora
p. 263. noſocomiorum coenobiorumque e ferri laminis,
p. 266. vel ferro fuſo, vel adeo aenea, e campanarum metallo fuſione parata, quae paſſim vſitata, arenario et
p. 268. ſmiride intus laeuigata, facilius munda ſeruentur ac ab aerugine tuta, hinc e lamina cuprea confectis praeferenda.

p. 271. Alios praeterea enarrat abuſus, ex vſu cupri redundantes; (Cap. VII.) dum ad epiſtomia, aceto vinoque

vinoque ex doliis emittendo deſtinatis, amphoras, p. 274.
quibus milites vinum aſſeruent, tingendos cucume p. 276.
res aceto conditos, variam ſupellectilem culinarem, p. 278.
ferrea vel argentea ſupplendam, vaſa lacti coagulando deſtinata, ligneis ſupplenda, ſalis culinaris p. 280.
menſurandi inſtrumenta, itidem e ligno conficien p. 282.
da, adhibeatur. Confirmantur haec obſeruationi- p. 293.
bus funeſtorum ab vſu vaſorum cupreorum effectuum. (Cap. VIII.) Cucumerum aceto iteratis vicibus in ahenis cupreis cocto conditorum virorem praeſtantem ex parte adhaerenti aerugini debentium; amphorae, qua vinum miles quidam geſtabat, ſuper- p. 294.
ne aerugine obſitae; carnis aſſatae, in lebete cupreo, p. 296.
ſtanno probe obducto, praeparatae, aerugine, quaſi herba recenti conciſa, aſperſae; caſeum cremoris lactis edentium, qui ſaccharo diu in vaſe ſtanneo aſſer- p. 299.
vato aſperſum aſſumſerant, colicis doloribus, vomitu deiectionibusque alui, ſtanni arſenico tribuendis, affectorum; coenobii alumnorum plurium a pla- p. 302.
centulis in lebete cupreo, in quo pinguedo refrigeſcere ſolita, adhuc aerugine obſita, coctis, ſimilibus ſymptomatibus laborantium; totius familiae p. 304.
cuiusdam a cibis, butyri in vaſe cupreo cochleari cupreo perforato deſpumati ſpuma conditis, vel dicto cochleari deſpumatis, plus minus valide aegrotantis; quadraginta vel quinquaginta militum a pha- p. 314.
ſeolorum leguminum vaſe cupreo ſtanno non obducto coctorum aſſeruatorumque eſu valida percipientium incommoda, quin ex parte interemtorum.

Addit denique Cl. Auctor viridi aeris veneno p. 316.
affectorum curam (Cap. IX.) pro forma aſſumti veneni diuerſam; vt acidis ſoluto ferrum itidem acido p. 319.
ſolutum, quo tamen non ſufficienter corrigatur, alcalia fixa, ſulphuris hepata calcarium, alcalinum, p. 321.
praeſertim vero martiale, opponantur, pinguedine ſolutum ſulphuris balſamo terebinthinato, vel p. 333.

p. 340. nouo, e florum ſulphuris granis decem vel duode-
cim cum olei oliuarum vncia dimidia coctis, addito
ſapone parco, quin praecipitarentur, impeditis pa-
p. 343. rato plurique oleo pro lubitu diluendo, vt et he-
p. 345. pate ſulphuris impugnetur, alcalico ſale ſolutum
p. 348. itidem hepatibus et ferro acetato vincatur, et pri-
mis momentis maxima pars veneni validis emeticis
p. 349. eliminetur, remanens aqua alcaliſata ad vnionem
cum dein propinandis hepatibus praeparetur, diu
p. 350. in corpore commoratum itidem hepatibus vinca-
p. 352. tur, quorum actio praeuia per potus acidulos ſolu-
p. 358. tione promoueatur, tandemque diaeta lactea, de-
mulcente, variisque aliis remediis, occaſione prae-
cedentium venenorum commemoratis, curatio ab-
ſoluatur.

T. II. *Quarta* Pars, de *Plumbo* agens, *Tomi* initium
p. 1. facit *ſecundi.* Enarratis Plumbi eiusque praepara-
torum, ore aſſumtorum, effectibus pernicioſis (Cap.
p. 8. I.) remedia quaerens (Cap. II.) hepata commendat,
quibus e ſolutionibus acidis praecipitari plumbum,
ſulphure vnitum, experimentis demonſtrat, ac me-
p. 13. thodum medendi docet (Cap. III.), vt potu abun-
danti acidulo ſolutum, hepatibus vincatur, adhibi-
tisque poſtea euacuantibus aluinis, adeo vehemen-
tioribus, modo non caſu conſtitutionis tenerioris,
p. 24. euehatur, denique (Cap. IV.) proprias de dictis qua-
tuor venenis addit obſeruationes: ſacerdotis et con-
viuarum iuſculo carnis, in menſa, miſcendae paſtae
ex arſenico et farina antea adhibita, conciſae, ſum-
mopere excruciatorum fratrisque necati; integrae
familiae iuſculo, arſenico necandis gliribus deſtina-
to venenato, interemtae, aliusque a placenta cum
butyro arſenico aſperſo parata violentis ſymptoma-
tibus affectae, (vnde vetandum repetit ad necandos
glires vſum,) aliquot ex propoſito arſenico interfe-
ctorum

ſtorum, quibus exemplis neceſſitas vetandae venditionis vrgeatur; vti, quo carere non poſſimus, mercurii ſublimati venditio arcte legibus ſit reſtrin- p. 32.
genda, ahenulorum cupreorum, ad calefaciendam p. 34.
aſſeruandamque, pultem infantibus nutriendis deſtinatorum, colatoriorumque cupreorum vſus culinaris, quotidiana periculoſa minaturus, vitandus; tabula- p. 38.
rum plumbearum, infundibuli inſtar inclinatarum, vino ſub diſtributione in menſuras defluenti excipiendo et in vas ſuppoſitum deriuando apud Oenopolas deſtinatarum vſus prohibendus et renouandae tot contra vinorum mangoniſationem olim ſtatutae leges.

Sequitur Cel. Auctoris *Indagatio medico-chemica, de variis mercurii, acido, vegetabili, animali etc. at quibusdam ſalibus neutris, ſoluendi mediis, addito examine commodorum, medicinae practicae à mercurio, in has formas redacto, exſpectandorum*, prae- p. 45.
miſſa Reg. Academiae ſcientiarum, (cui hanc Diſſ. nou. 1759 tradidit,) Commiſſariorum relatione. Mercurii, acidis mineralibus vniti, incommodis p. 57.
(Cap. I.) enarratis, tentatas eiusdem cum vegetabili p. 61.
acido combinationes (Cap. II.) refert Noſter. Oleo p. 62.
ſcil. ſic dicto tartari per deliquium ex acido nitri deturbata mercurii calx, quam merc. praecipitatum p. 68.
alcalinum vocat, cum aceto deſtillato dedit ſolutionem cuprum mercurio reuificato tingentem, ſaporis lenis adſtringentis, minime corroſiui, refrigerio cryſtallulos aciformes deponentem, e diluta ad ſalis ſedatiui formam accedentes, quas niueum ſal mercuriale vocat Noſter, eandem cum Keyſeriano re- p. 73.
medio antiuenereo putans. Limonum, acetoſellae et vuarum immaturarum ſucco dicta calx quoque plus minus ſoluta eſt, dummodo clarificati erant ſucci, quorum poſterior prioribus debiliorem exhibuit

vim ſoluentem, aſt ſal eſſentiale mercurio vnitum
p. 78. dedit omnium mitiſſimum. Neque cremor tartari ſoluere recuſauit calcem memoratam, cuius ex aqua ſub refrigerio praecipitatio addito borace impedita; vt tamen ſolutio iſta euaporatione ad ſiccitatem vsque producta mercurialem puluerem griſeum ite-
p. 86. rum dimiſerit. Vinum album Gallicum ebulliendo, minorem licet, ac cremor tartari, ſufficientem tamen ſoluit copiam, vt cuprum politum
p. 88. mercuriali macula tinxerit, qualem ſolutionem
p. 91 etiam lactis ſerum acidum (Cap. III.) dedit, et aluminis ſolutio, parum licet agere viſa, cum contra puluerisatum alumen cum tertia dictae calcis parte
p. 92. igni leui expoſitum debilem odorem nitroſi acidi expulſerit, ac dein affuſa aqua, praecipitatum licet flauum copioſius demittens, tamen ditiorem mercu-
p. 94. rio dederit ſolutionem ſal ammoniacum (Cap. V.) cryſtallos cubicas dedit, mercurio diuites, ſolutione
p. 98. in aqua frigus inſigne efficientes, adeoque hydrargyro viuo via ſicca vnita dedit ſublimatum album, cryſtallinum, aqua feruida maximam partem ſolubile, praeuia euaporatione, ſi ſat mercurii additum fuerit, in laminulas ſublimandum, ſalis ſedativi forma praeditas cum aqua terendo mercurium viuum copioſum demittentes; via humida autem hydrargyrum viuum ſale ammoniaco ſolui recuſavit; ſalis mercurialis ter ſublimati vncia dimidia,
p. 104. quinque vel ſex vnciis aquae ſoluta, tantum produxit frigus, vt cucurbitula extus madefacta, modo ſiccum fuerit, glacie tegeretur; tandem quoque
p. 105. cinnabaris cum ſale ammoniaco ſimile praebuit ſal mercuriale ſublimatum. Vt vero omni acidi mineralis veſtigiorum ſuſpicione liberam tentaret
p. 108 mercurii calcem, agitatione in lagena obturata perticae ſubflexilis, molendinae rotae ita, vt a quouis dente circumeuntis imum extremum moueretur,

ſummo

ſummo extremo immiſſa, mercurii calcem obtinuit Cl. Auctor fuſco-rubentem, aceto vini facillime ſolubilem, neque dulci illud imbuentem ſapore, hinc plumbo inquinatam non cenſendam, quam longe mitiorem cum omnibus acidis memoratis, ac eſt praecipitatus alcalinus, daturam eſſe ſperat ſolutionem, qui MOLLER cuiusdam ſic dictam *Q. E. antiveneream* mercurium ſale ammoniaco (Cap. VII.) p. 113. p. 116.
ac DIENERTIANAM *Tincturam* vegetabili acido ſolutum continere comperit, finemque diſſertationi imponit obſeruationibus de applicatione mercurii p. 118.
eiusque praeparatorum ad oeconomiam animalem (Cap. VIII.), mercurii viui effectibus generalibus expoſitis, acidi mineralibus vniti vim corroſiuam timendam declarans, vegetabili animalique iunctum p. 121.
mitiorem commendans, dummodo tenerioribus ſo- p. 123.
lutione ſat diluta propinetur, alumine ſaleque ammoniaco, vtpote et in hoc minerali acido, ſolutum p. 125.
iam caute magis adhibendum eſſe monens, cum vero omnes iſtae ſolutiones viuo frictione abſorpto inferiorem in penitus deſtruendo viru venereo, ex- p. 132.
ſerant vim, camphora exſtinctum ſummopere lau- p. 133.
dans.

Sequentis *expoſitionis mediorum variorum, mercurium ferro vniendi nouaeque methodi illum, absque vllius acidi auxilio, in aqua ſolubilem reddendi, cum meditationibus practicis, de horum praeparatorum in variis morbis effectibus*, cui itidem Commiſſariorum Reg. Ac. Sc. relatio eſt praemiſſa, Pars prima ten- p. 137. p. 145.
tamina mercurii ferro vniendi exhibet; miſcuit ſcilicet Noſter ſolutionem merc. praecip. alcalini p. 149.
aceto vini aliamque a mercurii acido vitriolico para- p. 150.
tam, cum ſolutione ferri in aceto, obtinuitque praecipitatum et euaporatione lenta cryſtallos laminares ferreo-mercuriales, digerendo cum ſpiritu p. 155.

p. 159. vini mitigandos, ex acidorum ob affinitatem baſium
p. 161. reciprocam commutatione, aſt ferri portione cum
vegetabili acido mercurium aggreſſa explicandas,
p. 163. addito ante euaporationem acido vitriolico, albiſſi-
p. 164. mas obtinendas; tentauit porro ſolutionis mercurii
p. 168. vitriolicae, cum martis vitriolica, ſuperaddito etiam
p. 173. aceto vini, martis vitriolicae cum mercurii acetoſa,
p. 176 dein vtriusque acetoſarum, et pro adhibito aceto
vini vulgari, et frigore concentrato, loco deſtillati,
p. 188. varietates, martis acetoſae cum mercurii muriatica,
p. 191. et nitroſa, et diuerſis his viis obtinuit ſal lamello-
ſum mercurio marteque foetum, quod ſale ſodae
p. 193. vnitum adeo partem metallicam in orto ſale neutro
p. 194. retinuit ſolutam. Quod altera parte tradit medium,
mercurium absque acidi vllius auxilio aqua ſolubi-
p. 196. lem reddendi, hepar ſulphuris eſt, quod alcalico
ſale paratum, via humida partem vere ſoluit, acidis
p. 201. cum ſulphure praecipitandam; via ſicca autem (fuſo
ſcil. in vaſe ferreo hepate alcalino mercurium per
corium preſſum inſtillando) potius intime vnitum,
microſcopii ope quaſi ſemireuificatas monſtrans
moleculas mercurii ſplendentes, ſolutione in aqua
p. 204. autem non ſeparandas, addito aceto fuſcum largiens
praecipitatum, mercurii praeſentiam in ſolutione
hepatis mercurialis aquoſae demonſtrans, quod
hepar ferro candenti aſperſum flamma coerulea,
p. 205. dein alba arſit, odoris ſulphurei expertibus, dein
albidiore ſubtilioreque, coloris odorisque phoſphori
vrinarii accenſi, cuius ortum, cum acidum muria-
ticum hic deficiat, ſi vere iſtius cum phlogiſto vnio-
nis productum ſit habendus, miratur Cl. Auctor.
Dictum hepar, cum ſub forma boli intus aſſumi
p. 206. poſſit, liquido praefert ac, ob auctam hac vnione
ſaponacea vim mercurii reſoluentem in mor-
bis cutis, ſcrophuloſis, indurationibus ſcirrhoſis
cancroſisque, vt et contra vermes commendans,
cuius

cuius effectus ſalutares ex parte quoque orto phoſphorico tribuendi. Tradidit hanc Academiae Reg. ſcient. diſſertationem iam anno 1764, quae collectioni, quam edit, opuſculorum ab Eruditis Academiae non adſcriptis, inſeri curauit *).

Vltima Tomi huius diſſertatio, *Obſeruationes* ſcil. *nouae, de aethere, ope variarum ſolutionum metallicarum in acido nitroſo obtinendo, productis inde oriundis ſolutionumque mercurii in nitri ſalisque marini acidis, cum meditationibus de vtilitate horum productorum in praxi Medica* Anno 1774 tradita eſt Reg. Academiae ſcientiarum, cuius Commiſſariorum relatione, hic itidem praemiſſa, meritis recenſetur laudibus. Communicauit iam anno 1741 p. 213. cum Academia Reg. ſcient. methodum aetherem nitroſum parandi, vnionemque ferri cum illo, Cl. Auctor, qui hac diſſertatione ſeriores deſcribit labo- p. 229. res, cum aliis metallis ſuſceptos. Aurum (Cap. II.) p. 232. primum tentauit, a grauiſſimo, puriſſimo metallo, multa in vſum medicum exſpectans: parata ſcilicet, p. 234. ex vncia dimidia ſpiritus nitri vulgaris ac ſalis ammoniaci drachma vna, aqua regia, ſeparatis in illa oriundis cryſtallis, ſoluit auri grana ſex, addidit ſpi- p. 236. ritus vini menſura aequalem quantitatem et in cellam ſepoſuit miſcelam: paucis diebus ortus ſupernatans aether citrinus, cutim purpureo tingens, in p. 239. argento polito maculam nigreſcenti variegatam, frictionis ope auream euadentem, efficiens, vitrum euaporando aurea cruſta, firmiter adhaerente, ob-

 ducens,

*) Memoire ſur differens moyens d' unir intimement le Mercure au Fer et ſur la maniere de le rendre ſoluble dans l' eau ſans le ſecours d' aucune eſpece d' acide, avec quelques reflexions ſur les effets de ces preparations dans differentes maladies. Par Mr. NAVIER in *Mem. préſent.* T. VI. (à Paris, 1774. 4.) p. 325. 350. vid. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 463.

p. 242. ducens, duplo vel triplo ſpiritu vini dilutus chalybem pulchre inaurans, ſponte tandem auri ſolui
p. 244. maximam partem dimittens, reſiduo liquori acido additum oleum citri eſſentiale retentum in illo aurum extraxit, aſt ſenſim pulueris forma iterum dimiſit, ipſum grauius euadens, vt tandem fundum pete-
p. 248. ret; non affuſo autem oleo eſſentiali, tamen ſponte aurum, retentum depoſuit liquor a ſeparato aether
p. 251. reſiduus, concludit inde Cl. Auctor aetherem auro impraegnatum veram eius eſſe tincturam aetheream, efficax, cordiale, penetrantiſſimum, maiori, ante aetheris ſeparationem addita ſpiritus vini copia, aurum
p. 253. conſtanter retenturum, qui idem metallum hepate
p. 254. ſulphuris ſolutum in bolis dandum tentare ſuadet.
p. 258. Argenti (Cap. III.) granorum quatuor ſolutio in aquae fortis drachmis duabus, addita aequali menſura ſpiritus vini, itidem gratum dedit aetherem nitroſum, in cupro polito maculam argenteam non relinquentem, licet addito alcalico ſale pauxillum argenti dimittentem, aſt reſiduus liquor cuprum macula nigra, fricando argentea firmiſſime adhaerente tinxit, nouum argentandi cupri medium largiturus, ſponte puluerem rubrum nigrum, griſeum deponens, qualem et additum oleum citri attraxit
p. 266. et ex parte tantum dimiſit. Plumbi (Cap. IV.) ſolutio, nitroſo acido parata, cum anatica ſpiritus vini miſcela itidem pulchrum dedit aetherem, cum vſui medico adhibere nollet Cl. Auctor, vlterius non indagatum, deorſum ruente ſimul puluere albo, in quo globuli mercuriales non viſi, quorum ſuſpicionem induxerat Cllmorum, DUHAMEL et GROSSE de Mercurio plumbo contento obſeruatio, quem tamen alii quoque in obtenta per acidum nitri calce plumbi reperire non potuerunt.
p. 268. Stanni (Cap. V.) ſolutio, aqua regia parata, aequali ſpiritus vini portione admixta, non minus aetherem

therem dedit, praecipitato ſimul puluiſculo albo: aether nitroſo vulgari ſimilis, addito alcali fixo parciſſimum ſedimentum dedit, hinc admodum exiguam continuit ſtanni quantitatem. Cupri (Cap. VI.) granis quatuor aquae fortis vncia dimidia ſolutis, addita pari menſura ſpiritus vini, parcus, ſenſim ortus aether, viroris, quem miſcela oſtendit, expers, ferrum cupreo non tingens, neque ab addito ſpiritu ſalis ammoniaci caeruleſcens, hinc ſimplex aether nitroſus, a cupri labe liber viſus. p. 271.

Mercurialis aether (Cap. VII.) obtinendus pluribus tentaminibus anſam dedit: viui tripla aquae fortis portione ſolutio aequali ſpiritus vini menſura, ſenſim addita, mixta efferbuit, ſub eiusdem additione, particulas albidas cryſtallorum inſtar dimiſit, poſteaque pulchras cryſtallos aciformes, cum puluere griſeo mercurii globulis conſtante, tandemque aetherem oſtendit ſolito grauiorem, cuius tamen generatio aëris externi communicationem popoſcit interceptam; ſolutio mercurii nitroſa dupla ſpiritus vini quantitate mixta, immiſſo ferro puluerem griſeo album dimiſit ſubtiliſſimum et nitro tincta eſt, ſaporem martialem nacta, non vero ſtypticum, ipſa nunc mercurio priuata, cuius globuli effecerunt puluerem dictum cum extracto gummoſo, vel conſerua quadam, ſummopere diuiſam ferri mercuriique praeparationem largituri, ſolutione vitrioli martis mixta itidem puluerem griſeum mercurialem, ſiccatione in globulos reductum, dimiſit mercurialis nitroſa: duplo vel triplo ſpiritu vini mixta ſolutio mercurii aetherem non dedit, aſt lenta euaporatione et refrigeratione cryſtallos aciculares, ſupra deſcriptis lamelloſis adhuc mitiores, panaceam quaſi, quantum fieri poſſit, minimam portionem acidi continentem, additum anaticae miſcelae, dum aether apparere incepit, duplum vel triplum ſpiritus vini conſtantem p. 275. p. 280. p. 282. p. 284. p. 285. p. 287.

conſtantem dedit liquorem mercuriali-aethereum,
aliquamdiu ſaltem ſponte aetherem vel cryſtallos
p. 289. non dimittens; Cryſtalli igne toſti ſublimati ſpeciem
dedere, vti illud tandem in rubrum puluerem muta-
tae; Aether dictis tentaminibus obtentus cuprum
p. 290. non dealbauit, adeoque mercurium non continuit,
praecipitatum alcalinum, cum debili efferueſcentia
ſoluit, reſiduo albo euadente, ac tunc cuprum ma-
cula mercuriali inquinauit, ac paucis horis per ſe
cryſtallos, partim aciformes, partim lamelloſas, de-
dit inſipidas fere, hinc mitiſſimas, remanente tamen
p. 292. portione mercurii ſoluta, quam tunc ſpiritu vini
dilutus arcte retinuit, ante immiſſum merc. praecip.
rubrum ſpiritu vini dilutus aether autem difficilius
p. 294. ſoluit, neque cryſtallos dedit, ſed poſt plures dies
mercurium ſolutum puluueris inſtar dimiſit; mitti-
mus quaedam alia, ex quibus ſimul ſumtis infert
p. 300. Noſter, adductas cryſtallos ſalibus mercurialibus, e
ſolutione Mercurii praecip. alcalini in aceto ob-
tentis, accenſendos eſſe, et dum acidum nitri his
operationibus per ſpiritum vini mutetur in ve-
p. 301. getabile, id quod peculiari Capite (VIII.) demon-
ſtrare conatur, poſtea de ſalibus mercurialibus ve-
p. 304. lutinis nitroſis, ſolutione memoratae mercurii cal-
cis in ſpiritu nitri dulcis obtinendis, experimenta
referens (Cap. IX.), dein ſub talium ſalium forma
p. 317. ferrum mercurio vnire tentans (Cap. X.), cui fini
p. 333. etiam mercurii in acido muriatico ſolutionem cum
ferri acetoſa miſcuit (Cap. XI.), ac hac quoque via
p. 345. ſalia ferreo mercurialia niuis forma praedita obtinere
tentauit (Cap. XII.), quod licet non ſucceſſerit, ta-
men liquidam vtriusque metalli combinationem
p. 358. obtinuiſſe putat, non corroſiuam, in multis morbis
chronicis tuto et vtiliter adhibendam, ac indagatio-
ne indolis ſalium mercurialium niuis forma praedi-
p. 362. torum velutinorumque (Cap. XIII.) opus abſoluit,
inferens,

inferens, exiſtere in mercurio ſingularem ſubſtantiam mineralem, huius generis ſalibus generandis aptam, diuerſam a globuloſa eius parte, aſt ſat affinem, vt in ipſis iſtis ſalibus aliquamdiu cum illa vnita maneat, quae quidem differentia nobis forſan a varia ratione, qua mercurius adductis operationibus phlogiſto ſuo plus minus orbetur, vegetabilisque acidi parte vniatur, videtur pendere.

IV.

Aphoriſmi de Naphthis chemicis, quos — Praeſ. Doct. CHRIST. WOLLIN — publ. exam. ſubmittit *Frid. Chriſt. Palm*, ad diem XVIII Maii MDCCLXVIII Londini Gothorum. 4. plagg. 2.

Naphthas vitrioli, nitri, ſalis et aceti tractat Cl. Auctor, ſingularum praeparationem, originem et proprietates docens. Prioris originem ita explicat, vt attracta per acidum vitriolicum parte ſpiritus vini aquoſa, decomponatur ille et phlogiſticae ſ. oleoſae eiusdem partes magis magisque coadunentur et ab acido coagulentur, vt itaque naphtha vitrioli conſiderari poſſit, vt ſpiritus vini ſemidecompoſitus, in quo proportio inter aquoſas oleoſasque partes ita ſit diminuta, vt medium iam teneat inter ſpiritum vini et oleum eſſentiale, et quod naphtham comitari non negat Noſter, acidum vitriolicum heterogeneum ſit cenſendum, ad partes naphthae eſſentiales non pertinens. Nitroſae originem autem ex oleoſarum S. V. partium per acidum nitri attractione explicat, cum diluto itidem produci poſſit. Muriaticam, duce DE COURTENVAUX, ope ſpiritus fumantis LIBAVII parare docet et vnionem cum ſpiritu vini, ope puri acidi muriatici non efficiendam, ab addito phlogiſto ſtanni deriuat, cuius

ſub

ſub vnione praecipitatur terra. Acetoſae praeparationem tradit a Com. DE LAURAGAIS publici iuris factam, originem ſimiliter ab attractione oleoſarum S. V. partium per acidum deducit et maiorem, cum hoc, quam reliquis acidis, obtinendam Naphthae quantitatem contentae in acido aceti concentrato magnae ſpiritus ardentis portioni tribuit, quae deflagratione ſpiritus veneris probetur et phlogiſton S. V. adaugeat. Ex acido phoſphori et alcohole vini itidem naphthae genus quoddam produci poſſe, perſuaſum habuit Cl. Auctor, licet tunc temporis tentamina parandae nota non fuerint.

V.

Aphoriſmi ſiſtentes animaduerſiones nonnullas circa Pharmacopoeam Suecicam, quos — Praeſ. Doct. CHRIST. WOLLIN — pro Gradu Doctoris ventilandos exhibet *Pet. Dros Peterſon* — d. XXIII Maii MDCCLXXIV. Lond. Goth. 4. plagg. 3.

Regio Collegio Medico, quod Holmiae eſt, nouam Pharmacopoeae ſuecicae editionem paraturo, aliquas Noſter ſuggerit obſeruationes, ad euitandas mendas nonnullas. Sunt, de quibus hic monetur, Medicamenta ſequentia: Acetum ſaturninum, quod in vaſe cupreo parando aerugine infici, hinc in ſolo figulino probe vitreato parandum eſſe monet; Conſeruae, quarum moleſtiis enarratis, Cochleariae proponit conſeruam, cremore Tartari conficiendam; Elaterium, quod licet ibidem locorum quoque hoſpitetur et matureſcat, tamen e regione Turcica petendum praefert; Elix. Vitrioli, quod acido Londinenſium licet mitius, nimio tamen laborare acido vitriolico monet, cuius fortioris vnica vncia ſufficiat;

ſufficiat; Emulſio peruuiana, cuius praeſcriptam formulam imperfecta corticis extractione per coctionem et extracti varia mutatione laborare monet ſequentemque ſubſtitui mauult: R. Cort. Peruv. pulv. vnc. j; In Mortar. vitr. per horam teratur cum aquae frig. Libra I; Add. aquae fluv. Librae III; Macer. per hor. XLVIII in vitro clauſo, loco frigido, vas ſaepius concutiendo; Col. cum expreſſione; Colat. add. Syr. Amygdal. Vnc. III; Extractum Cardui benedicti, quod nauſeoſi, coctione oriundi, euitandi cauſa frigida foliorum extractione et leni balnei calore, inſpiſſatione parare docet; Extr. Aloës aquoſum, cui acetoſum praefert; Extr. Conii, quod annon efficacius obtineatur e planta loco humidiori plantata, et annon ſuccus, ad colligendas in excipulo partes volatiles abeuntes, in cucurbita vitrea ſit inſpiſſandus, quaerit; Extr. Thebaicum, cui parando methodum Cl. BAUMÉ, aut ſaltem ſufficientem opii in larga aquae quantitate ſolutionem commendat; Flores Benzoini, quorum parandorum methodum Scheelianam praefert; Hydrargyrus purificatus, quem ex Aethiope antimoniali, a Cl. MALOUIN deſcripto, per aequalem limaturae martis portionem reuificare iubet; Kermes minerale, quod, cum duplo Alcali, larga aquae quantitate coquendo optime mitigari aſſerit; Mel myrrhatum, cuius Poernerianam tradit formulam; Mercurius dulcis, quem cum pauxillo ſolutionis ſalis ammoniaci, calida aqua dilutae, a corroſiui labe liberare iubet; Mixtura ſalina, cui ſuccum citri q. ſ. ad perfectam ſaturationem praeſcribi mauult; Olea ſtillatitia, quae ſiccatis vegetabilibus, non niſi ob maiorem, iuxta datum pondus, numerum maiori obtineri copia monet; Oleum animale, cuius per primae ſolius tranſeuntis portionis rectificationem parandae compendium, praeeunte Cl. BAUMÉ, commendat;

mendat; Oxytartarus, quem murrhino, quam ſtanneo, in vaſe, ob arſenicum, in ſtanno deliteſcens, coquendo parari mauult; Saccharum lactis, quod tempore anni, quo armenta laetis fruantur paſcuis, parandum eſſe et hiberno paratum parum valere monet; Species pro Thea, quibus folia Fragariae teneriora, celeriter ſiccata, reſpectu gratioris ſaporis, praefert; Spiritus aethereus nitroſus, quem, ne auolet, cucurbitae leuem, ope chartae, obturationem poſcere monet; Sulphur antimonii praecipitatum, quod ſimul et ſemel praecipitatum infidum ac nimis emeticum licet habeatur, ad granum vnum datum, tribus tantum nauſeam, quarto emeſin lenem, et quinto ad grana duo datum nauſeam ſolam mouiſſe iudicat, et an ablutiones cum aqua calida proſint quaerit, cum non ablutum melius in primis viis ſolui contendat BARON; Vitia tincturarum, quas ſaepe ſalino, quam ſpirituoſo, parari menſtruo praeſtare monet, et tincturae aurantiorum, acidam eorundem POERNERI vitriolicam, tincturae caſtorei pariter acetoſam, e caſtorei parte vna, ſpiritusque aceti duodecim partibus digerendo parandam, tincturae myrrhae aliam, myrrhae electae cum decuplo terrae foliatae tartari liquore, digeſtione et decantati liquidi cum extracto myrrhae, ope dicti liquoris parati, partibus tribus mixtione obtinendam, tincturae pimpinellae POERNERIANAM, tincturae antimonii tartariſatae octuplo extrahendam, et tincturae thebaicae varias opii, ſpiritu ſalis ammoniaci ſimplici acido nitri ſaturato, vel liquore terrae foliatae tartari, aut liquore anodyno minerali Hoffm. vel etiam ſpiritu aceti obtinendas, ſubſtitui mauult tincturas; Vitrum antimonii, quod ſufficientem calcinationem, eamque non nimia cum quantitate tentandam, praeeunte Cl. BERGMANNO, expoſcere monet.

VI.

VI.

Diſſertatio chemica de Atramentis ſympatheticis, quam — Praeſ. Doct. CHRIST. WOLLIN — pro exercitio ventilandam exhibet *Io. Car. Waldenſtröm* d. 28 Maii Ann. MDCCLXXXI. Lundae, 4 plagg. ½.

Intelliguntur hic, per atramenta ſympathetica, eiusmodi liquores, quibus litterae pinguntur inviſibiles, idoneis autem reagentibus viſendae (§. I.). Hi in Claſſes diſtributi recenſentur ſequentes. Claſſ. I. continet litteras inuiſibiles, quae certis ac idoneis liquoribus viſibiles redduntur, ſcil. vitriolo martis iuncto alumine ſoluto ſcriptae, per gallarum infuſum, vel lixiuium alcalinum caerulei Berolinenſis, atramento per acidum nitri decolorato ſcriptae, per alcali quoddam ſolum ſolutione bismuthi nitroſa ſcriptae per ſolutionem hepatis ſulphuris, aceto lithargyrii ſcriptae per liquorem vini probatorium, auro in aqua regis ſoluto ſcriptae per ſtanni in eodem ſolutionem ſaturatam aqua dilutam, vitrioli cuprei ſolutione aquoſa ſcriptae per ſpiritum ſalis ammoniaci (§. II.). Claſſ. II. complectitur litteras inuiſibiles, quae in aëre viſibiles fiunt, quales auri in aqua regis, argentique in acido nitri ſolutiones dilutae, ſacchari ſaturni ſolutio, et cupri in aqua forti ſolutio pluuiali diluta, praebeant, quales et ſolutiones ſtanni in aqua regis, mercurii in aqua forti, martis in aceto vini, et quorundam pyritarum in acido ſalis dent, ſed chartam nimis rodant (§. III.). Claſſ. III. commemorat litteras inuiſibiles, terra colorante viſibiles reddendas, ſcil. mucilagine ſeminis cydoniorum ſcribendas et ambra adſpergendas, lacte animali ſcribendas et carbonum puluere adſpergendas (§. IV.). Claſſ. IV. tradit litteras inuiſibiles, quae ſuper ignem viſibiles fiunt, quales ſolutione ſalis

ammoniaci in 48plo aquae, acido vitrioli bene diluto, lacte vaccino recente, ſucco allii, omnibus ſolutionibus metallicis ad claſſem ſecundam pertinentibus, efficiantur (§. V.). Claſſ. V. monſtrat litteras inuiſibiles, quae per aquam viſibiles fiunt, ſcil. ſolutione aluminis ſcriptas, vel plumbagine pictas, puluere ex gallis, vitriolo martis, alumine et gummi arabico compoſito, perfricatas, pane triticeo deletas (§. VI.). Claſſ. VI. tandem exhibet litteras, quae leni calore viſibiles fiunt, aſt frigore iterum euaneſcunt, quales aqua regis cum zaffera digerendo ſaturata ac ſat, ne chartam corrodat, diluta, vt et cupri in acido ſalis concentrato, ope fortioris digeſtionis effecta ſolutio, calce ſalita et pauxillo ſpiritus ſalis mixta largiantur (§. VII.). Dictorum cauſas phyſicas quoque exponit Cl. Auctor, qui plura adhuc excogitari poſſe genera monet (§. VIII.).

VII.

Diſſertatio chemica de Acido animali, quam — Moderante Doct. CHRIST. WOLLIN — ad publ. eruditorum examen defert *Guſt. Io. Nyren* — d. 20 Iun. MDCCLXXXI. Lundae, 4. plagg. $2\frac{1}{2}$.

Acida, quae in regno animali ſedes ac domicilium collocarint, in aperta et occulta diuidit Cl. Auctor (§. I.), illis ſolum illud, quod formicae largiuntur (§. II.), his acidum ſanguinis (§. III.), carnis (§. IV.), oſſium (§. V.), ſeui (§. VI.), merdae (§. VII.), vrinae (ſ. phoſphori) (§. VIII.), occulta annumerans, ſingulorum eliciendorum methodos proprietatesque exponens.

VIII.

VIII.

Beobachtungen über die Ruhr, nebſt einem Anhange von den Faulfiebern, von CHRISTIAN LUDWIG MURSINNA, *Regimentsfeldſcheer des hochlöblichen Regiments von Petersdorff. Berlin bey Chriſt. Frid. Himburg*, 1780. 8. 140 *Seiten.*

i. e.

Obſeruationes de dyſenteria vna cum appendice de febribus putridis, auct. CHRISTIANO LUDOVICO MURSINNA, Chirurgo Caſtrenſi Primario.

Deſcribit Noſter dyſenteriam, qualem Herfordiae et in caſtris obſeruarat, et curandi viam non ſpernendam. Abſoluitur omnis libellus octo capitibus.

Primum affert *hiſtoriam morbi.* Coepit graſſari p. 1. Herfordiae in Gueſtphalia ſub Iulio menſe, increscere ſub Auguſto, et pauperes diuexare, tandem omnes, nullo habito aetatis et conditionis diſcrimine, infeſtare, plurimos occidere, ſub menſe medio Septembri vero miteſcere, et ſub affecto demum receſſui canere, reſidua tantum diarrhoea vel recidiua. Idem in municipio Bilefeld factum eſt, et ad Nouembrem vſque ſaeuiit morbus, ita tamen, vt ſub initio magis eſſet inflammatorius, ſub fine, i. e. p. 5. menſe Octobri, bilioſus. Neminem perdidit, praeter duas mulierculas et aliquot infantes. Ad arcen- p. 6. dam luem conuentum eſt, vt coemeteria extra vrbem proferantur, mortui eodem vel poſtero die ſub diluculo vel veſperi ſine comitatu amicorum ab conductis viris efferantur, luſtratio publica prohibeatur, domus ſedulo viſitentur, medicamenta gratis dentur, euentus curationis candide explicetur, ſub finem cuiusuis hebdomadis numerus aegrorum,

conualeſcentium et mortuorum adferatur, cubicula ſuffumigentur, et plateae aqua alluente purgentur. Sed de coemeterio extra moenia proferendo nihil effici potuit per plebis pertinaciam.

p. 12. In *capite ſecundo* explicantur *cauſſae.* Noſter remotam in aëre praecalido quaerit, proximam in incuria, malo victu et ſqualore.

p. 17. *Capite tertio* recenſet Noſter *phaenomena et ſigna morbi.* Aderat ſubitus ventris dolor cum aluo crebra cruenta et pituitoſa, ſaepe lingua ſordida, ſpiritus foetens, nauſea et ſapor amarus, rarius vomitus, in multis alternus horror et aeſtus, vel anxietas praecordiorum, interdum teneſmus, isque ſub fine intolerabilis, rariſſime delirium. Morbus hinc multis videbatur periculi expers, nec putridus, nec malignus, iique fere cum defluuio pilorum euade-

p. 19. bant. Malignitas ſubita virium defectione, pulſu paruo et celerrimo, item anxietate horrenda, veſiculis linguae albis, deglutitione difficili, dolore faucium, vomitu perpetuo, aluo crebra et foeda cognoſcebatur. Ex ſanguinis colore nihil colligi poterat. Immenſa pituitae craſſae, nec inteſtinis ab-

p. 21. ſimilis vis prodiit. (Sub hac occaſione Noſter negat, vnquam exiiſſe tunicam villoſam, vel ſubeſſe vlcera, niſi ſub inueterata dyſenteria. Putat tamen, hanc membranam, quam explorarat, fuiſſe forte epidermidem).

p. 24. *Caput quartum* continet *methodum medendi.* Creberrime Noſter tartarum emeticum, acidum vitrioli et ſal mirabile Glauberi adhibuit. Hinc primum ſaburram euacuandam putauit, deinde mitigandam acrimoniam, tandem debilitatem ac putre-

p. 26. dinem corrigendam. Praetulit ergo tartarum emeticum, vtpote efficaciorem; ſub noctu dedit cremorem tartari ex decocto auenae, mane pulpam tamarindorum et ſal mirabile, addito clyſtere ex fl. chamo-

chamomillae, et fomentis calidis, ſi dolor nimis vr-
geret. Neque tunc minor gratia ad iuuandum in p. 30.
venaeſectione eſt, vel in veſicante, praeſertim ob
dyſuriam. Minus vtile erat opium. Ex remiſſione
horum ſymptomatum finem mali augurari licebat,
teneſmum vero reſiduum purgatione depellere.
Semper profuerunt ſub initio potus calidus et co- p. 33.
pioſus, ſub fine paucus ac frigidus. In putrida
dyſenteria nulla medicina potentior acido vitrioli
ceterisque acidis. Poma nec interdicenda ſunt, p. 35.
nec adeo commendanda. Semper abeſſe debent p. 36.
calida, dari vero rheum ſub incipiente remiſſione.
(Hic tamen Noſter ſubiungit quosdam caſus, in p. 42.
quibus opium mire profuit). Interdum aderat dyſ- p. 45.
enteria inflammatoria, quae ceſſit vnicae venaeſe-
ctioni, ſubditis purgantibus antiphlogiſticis. Ma- p. 46.
lignae male tractatae ſuperuenerunt peticulae, pur-
pura et conuulſiones, multique demum vlceribus
veluti criticis ſeruati ſunt. Tunc etiam in pulſu p. 49.
debili praeſtabilius ſerpentaria virginiana, rad. vale-
rianae, camphora et moſcho vinum vidit Noſter.
Neque ſpernit vitrum antimonii ceratum, quippe p. 50.
dolorem ſedauit, et aluum malam in meliorem mu-
tauit. Tandem ſuperadduntur quaedam morbi hi- p. 67.
ſtoriae.

Caput quintum ſiſtit dyſenteriam caſtrenſem eius- p. 87.
que ſigna. Fuit haec dyſenteria admodum grauis
exercitui Pruſſico, cum in Bohemia (1778) com-
moraretur. Poſt tempeſtatem praeſiccam et cali-
dam, pluuiamque tepidam continuam inſequeba-
tur dyſenteria putrida, in noſocomio difficulter ſa-
nanda, facilius in caſtris. (Cetera ſymptomata fere,
vt in praecedenti, ita tamen, vt propius abeſſet a
bilioſa).

Capite ſexto explicatur *medendi ratio.* Erat fere p. 94.
ſimilis praecedenti, ſed acquirebatur diuerſorum

remediorum miniſterio, v. c. ſale Glauberi et Sedlizenſi, cremore tartari, tartaro emetico, rheo, cortice et oleo vitrioli.

p. 108. *Caput ſeptimum* complectitur appendicem, i. e. *febres putridas.* Erant iſtae valde contagioſae, conualeſcentes praedebilitati, omnes ſeruati poſt defluuium capillorum, vnus poſt diſceſſum vnguium.

p. 111. Erat hiems tepida, ſigna vero communia febris cum horrore intercurrente, dolore dorſi et aeſtu, appetitus deficiens, ructus putridus, lingua ſordida, odor oris foetidiſſimus, aluus adſtricta, tumida, rarius fluens, pulſus vtplurimum naturalis, caput inſons, praeterquam ſub acceſſione, oculorum claritas. In his poſt purgationem et emeticum, cortex ſanita-

p. 112. tem breui reſtituit. Exacerbationes erant ſenſibiles, bis quouis die, ſaepius ſemel, rarius diebus alternis, recidiuae obuiae, interdum cum ſignis malignitatis iunctae; ſigna rediturae ſalutis habebantur ſurditas et quaedam mentis conſtantia, oculi albi naturalibus non abſimiles, lingua purior, febris remiſſio, transſpiratio et vrina rubra, quae ſub augmento fuerat pellucida et alba, ſub fine vero rubra, turbida, nebuloſa, et cum ſedimento albo vel rubello copulata. Criſes non ſemper erant eaedem, vrina tamen in his potior, interdum ſuppuratio tarda et foetidiſſima ex veſicantibus, rarius gangraena

p. 115. ſicca in oſſe ſacro. Deſquamationem cutis Noſter

p. 116. ſedauit aqua vegetominerali camphorata. Neque defuerunt *febres neruoſae*, quae euacuantibus et cortici concedebant.

p. 118. Finit *caput octauum* ſiſtens *medendi rationem.* Praefert Noſter ſimpliciſſimam, quippe naturae conſentaneam, orſus ab emeticis, et purgantibus, quibus addebantur reliqua, vt in hiſce febribus fieri

p. 122. ſolet. Laudat tamen veſicantia impenſius, peticu-

p. 124. lis oppoſuit laxantia antiphlogiſtica et antiſeptica, magno

magno cum commodo, conuulſionibus vero opiata, dedit corticem poſt remiſſionem febris, interpoſita alui purgatione, conceſſit aëris puri vſum, potus genera ſedulo mutauit, peſſimo ſub ſtatu copulauit corticem et ſpiritum vitrioli, et ſub ſignis inflammationis venam ſecari iuſſit. His tandem, veluti coronidis loco, quaedam conſectaria ſubdit, vt, quam bene haec medendi via conueniat morbo, cuique probo patere poſſit. p. 125. p. 126. p. 127. p. 118. p. 129. p. 131.

IX.

Triſmi tonici cum anepithymia, agrypnia, caet. 40. fere hebdomadum curatio ab ill. philiatro DE WOCHER per magnetem facta. A. R. S. 1780. 4. 24 pagg.

Scriptus eſt hicce liber nec indoctus, nec ſpernendus omnino, auctore MEDERERO, Cl. Friburgenſium Profeſſore, ad oſtendendam demonſtrandamque magnetis in morbo neruorum peſſimo vim, quam Ill. WOCHER, philiater, ſic percurarat. Aeger, ex animi aegritudine melancholicus, lecto affixus, per ſex et triginta hebdomadas ſine cibo, et potu, voce et ſomno vixit, frigoris patientiſſimus, atrabiliarius et plethoricus, cute fuſca, pulſu pleno, molliuſculo, calore imminuto, oculis acerrimis, apertis, viuidis, labris clauſis, ſpiratione facili, ſed lenta, naribus ſolis peragenda, praecordiis dextris praeduris, ventre valde tenuato, loquelae expers, hinc viſus melancholia et triſmo laborare, cum linguam in obliquum, non in transuerſum mouere poſſet. Deglutire non potuit. Alui ductio irrita fuit. Poſt guttarum quarumdam ſanguinis e naribus fluorem ſomnus leuior et colli motus ſuperacceſſit. Mento et maxillis centonem laneum e fumo gummatum ſuperhabere iuſſit medicus; interna p. 4. p. 5. p. 7. p. 8. p. 9.

p. 10. medicamenta ſpem deluſerunt, ergo confugit ad magnetem ſub annuli ad vtrumque polum protenſi forma, applicauit duplicem ad laeuam cranii partem, ad aurem ſiniſtram, ad maxillam, et mentum.
p. 11. Videbantur rugae os refugere, quoties capiti magnes ſuperhabebatur, poſt iterum contrahi, tandem prorſum euanuiſſe, maxilla leuiter diduci, potus
p. 12. hauriri. Ad dolores vagos dati ſunt clyſteres, veſicantia, purgantia cet. vnde tandem ſonos reddere raucos coepit, vſum loquelae ac linguae recuperavit, cibos ſolidos deglutiuit, ac vinum bibit, non,
p. 21. niſi de languore pedum conqueſtus. Sub finem adiectae ſunt formulae, et quaedam veluti epicriſis, num quid tribuendum ſit magneti, an cathartico.
p. 23. Auctor Noſter ſuadet, vt magneticam vim experiamur, ſi cauſſa morbi occulta et incomprehenſibilis eſt.

X.

Neglectus emeticorum per obſeruata practicorum vindicatus, in diſſertatione inaugurali — publ. eruditorum disquiſitioni ſubmittit IOANNES WENCESLAUS NEUMANN, Bohemus, Pragae, 1781. 8. 158 pagg.

Digna eſt haecce ſcriptio academica, quae cum lectoribus medicis communicetur. Collegit enim Noſter ex obſeruatoribus, quicquid ad cognoſcendum emeticorum vſum et tollendum practicorum diſſenſum pertinere videatur, narrauit vero magis, quam diiudicauit, ideoque legentibus veluti optionem reliquit, rarius quaedam propria appoſuit, ſecutus in tractanda materie ordinem partium. Hinc recenſentur:

p. 1. *Cap. I. Morbi capitis*, puta *vertigo*, *affectus ſoporoſi*, *delirium*, ſub quo etiam complectitur Noſter *Somnam-*

Somnambuliſmum, maniam, daemonomaniam, rabiem, hydrophobiam, ſatyriaſin et *furorem vterinum, phrenitidem* et *paraphrenitidem*, deinde *paralyſin, hemiplegiam* et *apoplexiam*, additis vbique teſtibus.

Cap. II. Morbi organorum. Siſtuntur hic *morbi* p. 16.
viſus, auditus et *dentium, vulnera capitis* et *haemorrhagia narium.*

Cap. III. Morbi colli et faucium. Memorantur p. 21.
ſtruma, parotis bilioſa, tumor linguae et faucium, vlcera oris et abſceſſus faucium, aphthae, angina et *deglutitio impedita, paralyſis linguae et aphonia.*

Cap. IV. inſunt *morbi pectoris*, v. c. *dolor* et *hydrops pectoris, tuſſis* et *catarrhus, dyſpnoea* et *aſthma, ephialtes, ſuffocatio, morbi pleurae et pulmonum*, at vero p. 28.

Cap. V. Morbi abdominis, et huc reponuntur p. 42.
hydrops abdominis, mala ventriculi et inteſtinorum, dolor lumborum, morbi viſcerum abdominalium, renum, veſicae vrinariae, et *genitalium.*

Cap. VI. Morbi extremitatum, quo pertinent p. 76.
tumores iſchias, chiragra, gonagra, podagra, et *vlcus cruris.* Iam ſequuntur

Cap. VIII. Morbi corporis vniuerſi, quales ſunt p. 79.
chloroſis, leucophlegmatia et *hydrops, febres, efflorescentiae, exanthemata varia, phlegmone* et *eryſipelas, catarrhus, rheumatiſmus, arthritis* et *dolores vagi, rachitis, ſcorbutus, ictterus, morbi conuulſiui, deliquium animi, ſiphylis.*

Finito hoc recenſu propoſitaque nube teſtium, p. 130.
concludit Noſter, medicinam emeticam in heroicis eſſe reponendam, quia periſtalticum motum invertit, ſe-et excretionem auget et euacuat, quae ventriculo, inteſtinis ceterisque viſceribus continentur, vehementi concuſſu humorum circuitum concitat, capiti prodeſt impellendo ſuccos corporis, cutis emiſſaria recludit, et ſpaſmos reſoluit.

p. 138. Progreditur Noſter vlterius, et in cauſas perdiligenter inquirit, cur hodie negligamus et metuamus emetica medicamenta, quae maiores adeo extulerunt ſummis laudibus. Prima eſt, quod in morbo eiusdem quidem nominis, ſed non eiusdem eſſentiae adhiberentur, deinde doſis et modus, quo dantur, complicatus morbus, rigiditas fibrarum, gratia et fauor, quae quam male aduerſentur dando emetico, vbertim docentur.

p. 8. Quod ad proprias obſeruationes attinet, parum eſt, quod moneamus. Sic memorat Noſter caſum, vbi ſtudioſus delirus ab febre bilioſo-inflammatoria emetico ex granis decem tart. emet. reſtitutus ſani-
p. 21. tati eſt; vbi in morbo bilioſo et pituitoſo parotis vera, in alio aegro tumor eryſipelatoſo-phlegmonoideus in nucha ortus, hoc pharmaco ſublatus eſt; vbi ex pleuritide bilioſa natum ſputum ſanguinis
p. 40. emetico conceſſit; vbi Cl. MIKAN tartaro emetico
p. 73. profligauit hydropem vteri; vbi puer aqua intercu-
p. 81. te aeger et ſoporoſus ex tartari emet. gr. v. et aqua ad ſe rediit et ſaluus euaſit. Poterit ergo hicce libellus inſtar repertorii eſſe iis, qui breuiter et tanquam in tabula expreſſum cognoſcere velint, quicquid alii de vſu vomitoriorum ſtatuerint.

XI.

Inſtitutiones neurologicae ſiue de neruis corporis humani tractatio. Praemiſſa eſt Oratio de proprietatibus neruorum generalioribus publice habita in regia academia ſcientiarum Suecana. Editio altera, latine reddita, recentiorum obſeruationibus aucta et priori emendatior, auct. ROLANDO MARTIN, *M. D. Anat. et Chir. in theatro anat. vrbis metropolitanae Prof. olim R. et O. Regii Collegii Med. Aſſeſſ.*

R.

R. A. SS. M. atque Reg. Soc. SS. et LL. Human. Gothob. Sodali. Sectio Prior. *Phyſiologica.* Holmiae et Lipſiae, ſumtibus Magni Swederi Reg. Acad. Vpſ. Bibliopolae 1781. 8. 123 pagg.

Inſtitutiones neurologicae ſiue de neruis corporis humani tractatio. Addita eſt ſciagraphia neruorum tabulis XI. comprehenſa. Editio altera, latine reddita, recentiorum obſeruationibus aucta et priori emendatior, auct. ROLANDO MARTIN. Sectio ſecunda anatomica. ibid. 8. 250 pagg.

Ea eſt neurologiae praeſtantia, dignitas et vtilitas, vt cuiuis medico et naturae ſcrutatori et ſcitu perneceſſaria ſit, et lectu iucundiſſima; tantus vero eius ambitus et tam multiplex varietas, vt pauci reperiantur, qui eam penitius intelligant, et in artis exercitio poſiti rite adhibere ſciant. Vt taceam, hanc anatomes partem multis in academiis fere neglectam ac incultam iacere, vtpote arduam et taedii plenam. Habebunt ergo medici Cl. MARTINO gratias, qui rem iſtam ita orſus, ita exſecutus eſt, vt cognita fideliter enarrata, pauca videantur adiicienda, pauca corrigenda, quia ei non licuit, minora quaedam anatomicorum noſtratium opuſcula in vſum conuertere. Sed iam ſequamur Noſtrum.

Sectio prior phyſiologica. Verſatur illa potiſſi- p. 1.
mum in indagandis et explicandis neruorum proprietatibus, neglecta tamen veterum de eorum origine ſententia, quippe naturae et experientiae non conſentanea. Explicat ergo partes intra ſua inuo- p. 10.
lucra detentas, *cerebrum*, *cerebellum* et *oblongatam medullam*,

p. 13. *medullam*, quae in *ſpinalem* continuatur, naturam
p. 14. *corticalem* et *medullarem*, reprobata *Malpighii* fabrica glandulari, vaſa, vnde maiorem ſanguinis purioris aditum, tardiorem circuitum, et ſecretionem faci-
p. 24. liorem defendit; praeterea ſtatuit, ſimilitudinem et magnitudinem in quocunque cerebro aequalem,
p. 25. ex complexu ſubſtantiae medullaris oriri neruos;
p. 28. glandulam pinealem non ſedem eſſe animi, nec iſto
p. 29. nomine dignam; corpori calloſo non tribuendum rerum externarum ſenſum vel quoddam dominium, quia inde pauciores vel nullae neruorum origines
p. 30. obſeruantur, et aues ſine hoc ſentiunt; cerebellum
p. 32. non eſſe ſedem animi; ad actiones animi requiri, praeter cerebri partes, medullam omnem indeque factos neruos, et omnem medullae compagem ad exitum vsque habendam eſſe ſenſorium commune;
p. 33. omnes neruos naſci in medulla cerebri, vaſa lym-
p. 35. phatica neruis non denegari poſſe; neruos non eſſe
p. 36. chordas ſolidas, ſed cauos, transmittendo humido accommodatos; etſi incognita ſit eius natura, (hic examinantur et refelluntur potiores auctorum ſententiae).

p. 65. Sequitur *quaeſtio, vbi terminetur ſubſtantia ner-*
p. 66. *vea, e cerebro per funiculos emanata.* Defendit Noſter quandam transſudationem vſus colore nigro in cerebro Aethiopum, quem MECKELIUS ſtatuerat; ſed hunc falſum eſſe, nuper docuit Cl. SOEMMERRING (*Abhandlung über die körperliche Verſchiedenheit der Mohren vom Europäer,*) Mogunt. 1784. 8.
p. 67. Porro credit Cl. MARTIN, materiam nerueam ſe-
p. 68. cerni ante ex ſanguine, quam in cerebro elaborari poſſit, ſemen forte aliquid fluidi neruei continere, ſi ſpectes ſummam debilitatem, et tandem percen-
p. 77. ſet priuas neruorum ſingularium dotes, coniunctiones, in vaſa imperium, ganglia, quippe longe diverſiſſima a natura medullae cerebralis, et pro congerie

gerie telae cellulosae, neruorum puncta connectentis, vsum neruorum, remedia neruina spirituosa et stimulantia, v. c. vesicantia, vrticationes, corticem Peruuianum, cicutam, aquas minerales cet. Sed haec fere vulgaria et cognita cuique naturae studioso. (Haec ergo pars prima reuera est illa oratio, quam in fronte libelli indictam legimus). p. 89. p. 100

Sectio secunda, Anatomica. Incipit haec altera pars cum explicatione *paris primi neruorum*, et desinit cum *triginta paribus neruorum, ex medulla spinali procedentium*, item reliquis *neruis extremitatum*. Sed in his fere repetit, quae antecessores docuerant, ideoque nihil inde decerpere lubitum est, etsi accurationem et diligentiam vbique insumtam admiramur. p. 1.

Sciagraphia denique *neruorum*, quam ad calcem libelli adiiciendam putauit Noster, ita comparata est, vt possit tiro vno veluti obtutu perspicere, quae neruorum sit origo, ambitus, fabrica et vsus.

XII.

Eine wahre und zuverläßige Beschreibung von den Kennzeichen und der Cur der Entzündung des Magens und der Gedärme, von einem Practico der Arzneykunst. Zweyte Ausgabe. Kopenhagen, gedruckt bey Paul Hermann Höecke, 1781. 8.

i. e.

Vera et certa descriptio signorum et curationis inflammationis ventriculi et intestinorum auct. practico quodam medicinae. Editio secunda.

Auctor est, quantum ex dedicatione paullum arrogantiori videre licet, GUIL. MENNINGS.

Prima

Prima editio ad a. 1777 pertinet, ſed nobis praeteruiſa. Sumſerat ſibi Noſter id ius priuum, ſe primum docuiſſe, quare vtraque inflammatio haud raro ſine febre incidat, reliquo tamen dolore lancinante ac ardente, curationem etiam dediſſe ſe meliorem ſimplicem, certam et infallibilem, morbum hunc vulgarem et obuium eſſe quouis anni tempore, etiamſi a medicis ignoratum, ſe primum eſſe inventorem inflammationis acutae cet. Haec talia-que noua fanti ſcriptori male placuit cenſura ciuium ſuorum, inprimis TODII, et multis, i. e. quinque plagulis diluere ſtuduit.

p. 1. Orditur Noſter telam ſuam, memorando medicorum errorem, quaſi omnia ſigna inflammationis etiam illi, quae ventriculo et inteſtinis propria ſunt, omnino conueniant, et cauſſas talis febris inflammatoriae in irritatione neruorum, non vero arteriis obſtructis et affectis, in reſiſtentia harum arteriarum et ſanguinis in vaſa collateralia introitu ponit, cauſſam vero *ἀνωδυνίας* in vaſis venae portae quae-

p. 9. rit. *Gaſtritidem perfectam et eryſipelaceam* ſtatuit, prioris tamen ſigna ſunt *horror*, preſſura et *ardor ventriculi*, *vomitus pituitoſus*, inquies, vigilia, tinnitus aurium, debilitas, lingua ſordida, rarius ſicca, pulſus non febrilis, et ſitis moderata, vrina parca, turbida, plus minusue colorata, *aluus adſtricta*, quacum ſpiritus nullus emittitur, denique ructus cre-

p. 12. ber. Negat tamen Noſter, delirium adeſſe, vt TISSOTUS cenſuerat, idque hiſtoria quadam morbi confirmat, non ſine aliorum contemtu ignorantiaeque

p. 17. memoratione. *Imperfecta inflammatio*, i. e. *eryſipelacea*, duplex eſſe creditur, quarum alia in arteriis minimis tunicae communis et celluloſae inſidet, et cognoſcitur, poſt praegreſſam refrigerationem, tenſione ac preſſura circa cordis ſcrobiculum, appetitu proſtrato, frigore fere continuo, aluo adſtricta, nec lotioni-

lotionibus adeo concedente; alia vero intrinſecus latet, iisque ſignis internoſcitur, niſi vt preſſura maior ſit, et vomitus pituitoſus maturius incidat. Hinc p. 19. ſequitur, vt *in acutam et tardam* diſpeſci debeat.

Cauſſae ſunt vel *internae*, i. e. plethora et tenax p. 22. ſanguis, ſuppreſſae haemorrhoides, menſtrua, partus purgamenta, humor podagricus vel arthriticus repreſſus, et iniectiones vteri frigidae, vel *externae*, i. e. refrigeratio, et potus frigidus, inſudante corpore, eſcae ex glacie frigidae, ſomnus pronus in pratis, ictus et caſus in regionem ventriculi, excluſis venenis ceterisque rebus rodentibus.

Prognoſis eo redit. Inflammatio eryſipelacea p. 23. facile transmutatur in perfectam, imperfecta in veram, vel diu trahitur. Sub vera inflammatione cardiae afficitur ſimul ſeptum transuerſum, at ſub ea, quae ſuperficiem ſuperiorem affectat, lobus minor hepatis, et ſi inferiori inſidet, pancreas. Vbi non diſcuſſa eſt, ſequitur abſceſſus letalis, gangraena vel hydrops ob ſcirrhum relictum immedicabilis. Vomitus bruneus ſignum mortiferum eſt. Rarius incidit ſuppuratio. Hoc quibusdam caſibus confirmare Noſter ſtudet.

Quod ad *curationem* attinet, putat Noſter, eam p. 28. ante ſe ignoraſſe omnes omnino medicos, reprobat veterem medendi rationem, i. e. refrigerantem, lau- p. 29. dat ſuam impenſius, i. e. venaeſectionem repetitam, p. 33. donec vomitus et dolor ſe remittunt, ſine vlla ratione febris, mixturam camphoratam, decocta mucilaginoſa, extrinſecus oleum camphorae vel ſpiritum camph. crocatum ventriculo ſuperhabitum, fomenta mollientia, deinde cum ſpiritus prodire incipiunt, laxantia leniora, tandem poſt morbum iuſcula, piſces, aëris et refrigerationis fugam. Hanc more p. 38. ſuo quadam hiſtoria certiorem facere auſus eſt.

Inflamma-

p. 45. *Inflammationem tardam* Noſter iugulat venaeſe-
ctione et camphora, vel mixtura ex liqu. anod. ℥ij ß.
ſpir. bezoard. Buſſ. ʒj. Camph. ℈j. M. Solv. D. quo-
p. 47. vis trihorio 30—60. gutt. Hac occaſione in men-
tem venit Noſtro, inflammationem pancreatis non
memorari a medicis, eamque ob cauſſam ſubdit bi-
nas hiſtorias. Notas eius cenſet ſenſum preſſurae
vehementem, circa ſcrobiculum cordis, vomitum,
ſaliuae fluorem, appetitum proſtratum, pulſum par-
vum et tardum, vrinam turbidam et modice colo-
ratam, ſitim moderatam, frigus, linguam albam,
gingiuas praerubras ac tumidas, dolorem in profun-
do ventriculi, regionem epigaſtricam tumidam, du-
p. 55. ram et valde ſenſilem. Cauſae huius mali latent,
p. 59. ſcirrhi pancreatis rari ſunt, et preſſura, quam mul-
p. 60. ti aegri memorant, requiri methodum antiphlo-
giſticam, nequaquam emetica.
p. 62. Sequitur *enteritis*, cuius natura et diuiſio eadem
eſt. *Signa communia* ſunt *horror* et *dolor* abdomi-
nis plus minusue vehemens, isque ſcrobiculum
cordis occupat, ad dorſum protenſus, ſi duodenum
affectum eſt, contra magis infeſtat regionem vmbi-
lici ac praecordia, ſi ieiuno male eſt. Motus peri-
ſtalticus nullus ſub inflammatione vera eſt, et valde
conſtrictum inteſtinum, ſubſtantia a ſtagnante ſan-
guine craſſior, *aluus adſtricta, ſub qua nec excremen-
ta, nec flatus exeunt*, (murmura enim ventris ſemper
indicant remiſſionem mali) vomitus creber, lin gua
ſordida et humida, tinnitus vel ſuſurrus aurium, in-
quies, vigilia, debilitas ſumma, ſitis varia, vrina
parca, turbida et praerubra, ſi qua febris ſubeſt.
p. 67. *Signa inflammationis eryſipelaceae*, quae refrigeratio-
nem fere ſequitur, ſunt leuis tenſio, preſſurae ſen-
ſus, et dolor, appetitus nullus, languor et aluus
obſtructa, et poteſt finiri vel ſanguinis ex inteſtinis
p. 68. fluore, vel fluxu hepatico. *Cauſſae* eaedem, quae
ſuperius

ſuperius memoratae fuerunt, *prognoſis* vero incerta, ſigna boni exitus, quae Noſter memorat, ſatis nota, *curationis via*, qualem maiores ſequebantur, mala, i. e. per clyſteres, purgantia et veſicantia, melior vero, quam Noſter adhibet, i. e. per venae- p. 95. ſectionem, mixturam camphoratam, fomenta mollientia, potus acidulos tepidos, et ſub finem per laxantia. Concludit ergo Noſter, colicam ſpaſmo- p. 98. dicam, rarius ſi vnquam, incidere, neque deflectit ad calcem delatus a veteri conſuetudine, i. e. commemoratione hiſtoriarum morbi.

Haec quidem narrat, tanquam noua et inaudita Noſter, ſed ſi a lotionibus alui receſſeris, vix eſt, quod ſibi vindicet. Camphoram enim eſſe medicinam antiphlogiſticam, quis eſt, qui neſciat? Docemur tamen exemplo iſthoc, practicis ſemper videri noua, quae viderint, vtpote abhorrentibus lectionem bonorum librorum. Nam Noſter vix ſapit vltra BOERHAAVIUM, SWIETENIUM et TISSOTUM.

XIII.

CARL WILHELM NOSE, *d. A. D. Phyſicus am St. Martins-Spital in Augsburg — Ueber die Zuläßigkeit der Ausführungen, beſonders durch Brechmittel, in hitzigen Krankheiten. Augsburg, bey Eberhard Kletts ſel. Wittwe und Franck, 1781. 4. 163 Seiten.*

i. e.

CAROLI GUILIELMI NOSE, *M. D. et Phyſici Noſocomii S. Martini Auguſtae Vindel.* Commentatio de vſu euacuantium, praeſertim emeticorum, in febribus acutis.

Eſt Noſter vnus ex illis, qui PLATNERI theoriam neruoſam ſine partium ſtudio ex aequo

aeſtimauit, et emeticorum poteſtatem integram eſſe voluit. Dixerat enim ille, febrem eſſe maiorem principii neruoſi concitationem, adeoque cauendum videri, quicquid eam augere poſſit, ergo fugienda emetica, Noſter vero aperte profeſſus eſt, quatenus hoc decretum in medicina conſiſtere vel cadere debeat, etſi non ſine quodam neologiae ſtudio. Videamus, quoad eius licet, quid Cl. NOSE hac de re ſenſerit.

p. 1. Praeuia generali commentatione de noua iſta
p. 7. theoria, agitur curatius *Sect. I. De cauſſis febrium acutarum, effectibus inde in corpus redundantibus, et remediis generatim.* Ait Noſter, cauſſam morborum proximam conſiſtere in praeternaturali principii neruoſi conditione, ceteras vero eſſe *internas* et *ex-*
p. 8. *ternas*. Illae debentur animo, i. e. ſunt incorporeae ſ. morales, quae emetica et purgantia non ferunt, ſed ſi nimis vrgent, ſopientia; haec vero ſunt ma-
p. 10. teriales, ſiue extrinſecus aduenient, ſiue intrinſecus
p. 11. afficiant. Externas efficiunt venena, miaſmata, corporum ambientium qualitas, inprimis aëris tempe-
p. 13. raturae, et res praeternaturales. Negat ergo Noſter, temperiem hanc aëris et contagiorum euacuantibus ſubiectam eſſe, multo minus venena ſubtilia, contra ſtatuit, qualitatem organorum quorun-
p. 17. dam praeternaturalem eſſe effectum cuiusuis cauſae
p. 20. morbificae, indeque ſequi praeternaturalem ſuoco-
p. 21. rum mutationem, hanc ergo irritationem gignere,
p. 23. ſola euacuatione diſſipandam, hinc hiſce tribus mo-
p. 24. mentis contineri omnes febrium acutarum cauſſas.
p. 25. Vnde colligit Noſter, in his ſemper adeſſe debere praeternaturalem quandam materiam, ſiue cauſſam nomines, ſiue effectum, eamque remouendam eſſe.
p. 31. Natura ergo ipſa eum humorem irritantem expellere ſtudet, etſi vario gradu, directione, duratione, tempore.

Sect.

Sect. II. verſatur *in euacuantium vſu licito*, dum p. 58.
febres acutae moleſtant, maximeque *emeticorum*.
Primum ergo Noſter explicat modum agendi, dein- p. 60.
de ſtatuit, vim medicinae et irritamenti neruoſi ſibi
aequalem eſſe oportere, illam vero auctiorem non
ſemper ideo habendam noxiam, dandum eſſe eme-
ticum, ſi corpus eſt parum ſenſile et nondum vere p. 66.
debilitatum; falſa ergo putanda videri monita, quae p. 68.
vulgo adferuntur, emetica eſſe naturae aduerſa, ca- p. 74.
piti et pectori infenſa, aegrum his debilitari, et in p. 78.
inflammationem, praeſertim ventriculi, coniici, ma- p. 90.
la peſſima ſic induci, hinc non audiendos eſſe, qui p. 96.
ſententiam contrariam defendunt. Quoad *contra-* p. 107.
indicantia, dantur quidem talia, ſed rara, et HAENIUS p. 109.
hac in re nequaquam dux certus putandus eſt. Vere p. 113.
hinc et accommodate experientiae ac rationi Noſter
quidem ſuaſor et auctor eſt, medico perſpectam
eſſe debere multiplicem medendi viam, vt poſſit
meliorem eligere, praeſtare euacuantia ceteris me- p. 115.
dicamentis, ſed in his iterum emetica purgantibus, p. 121.
quae, quia non ſemper iuuant, ideo ſpernenda non p. 126.
ſunt.

His praemiſſis, Cl. NOSE etiam ſuperaddidit p. 127.
cautiones neceſſarias, vt ne falſis ſignis in errorem p. 128.
coniiciamur, ſed attendamus potius genium morbi p. 133.
epidemici, vt cognoſcamus aegri ſtatum, eumque, p. 139.
ſi opus videatur, veluti inducamus, vt ante, quam p. 144.
emeticam medicinam exhibeamus, eligamus eam, p. 154.
quae morbo et aegro conueniat, et tandem in ſum- p. 160.
mam veluti contrahit, quae adhuc vberius et ſubti-
liter dixerat. Noſter enim fautor emeticorum eſt,
ſed prudens et cautus.

XIV.

Commentatio medica de vniuerſali nuperrime celebrato, partum leuante, adiunctoque re-

cto opii vſu in grauiditate, partu et puerperio a IOANNE CHRISTIANO STARKE *Ph. et M. D. Profeſſore Inſtituti ducalis Vinarienſis in vſum obſtetricum Directore ſecundo* etc. 1781. 4. Ienae, litteris Maukianis. 46 pagg *).

Scripſerat quidam anonymus Bernenſis duo ſpecifica remedia, partui promouendo et citando
p. 4. apta. Oſtendit ergo Noſter, naturam vtriusque ex odore ac ſapore, quin ipſis experimentis chemicis facile manifeſtari, i. e. opio potiſſimum componi, nempe ſyrupum continere hoc, cum anodynis et aromatibus copulatum, balſamum vero idem, prae-
p. 5. ter vnguentum althaeae et ſperma ceti: Id quod Cl. BUCHOLZ deprehenderat. Poſt haec percenſet laudationem auctoris, et docet, nouam hanc medicinam non eſſe, nec vniuerſalem, ſaepe noxiam;
p. 12. Tandem multis vſum opii ſub grauiditate, ac partu et poſt partum explicat, praeuia doctrina de partibus opii conſtituentibus, actione ac modo adhibendi, in variis morbis, orſus ab profeſſione, grauidi-
p. 25. tatem eſſe morboſam; Laudat vero hanc ſopientem
p. 26. medicinam ad nauſeam et vomitum, diarrhoeam,
p. 27. tuſſim et ſternutationem, cephalalgiam, odontal-
p. 29. giam, ſpaſmos hyſtericos, abortum praecauendum,
p. 36. partum, eiusque dolores veros, partum difficilem
p. 39. et artificialem, ſectionem caeſaream et ſynchondro-
p. 43. ſeos oſſium pubis, ad dolores poſt partum. Eſt vero

*) IOHANN CHRISTIAN STARKENS, *der Weltweisheit und Arzneykunſt Doctors — Abhandlung über das neuerlich berühmt gewordene Univerſal-Mittel zur Erleichterung der Geburt und die rechte Anwendung des Mohnſafts in der Schwangerſchaft, der Geburt und dem Kindbette. Aus dem Latein. überſetzt, mit einer Vorrede und einigen Anmerkungen vermehrt. Greiz, in der Fürſtl. Hofbuchdruckerey*, 1781. 8. 82 *Seiten.*

vero Noſter in ea opinione, vt formam ſolidam fluidae praeferat, (an ſatis bene?) et finit, ſubditis formulis. Dolemus, hanc ſcriptionem foedari horrida oratione.

XV.

GE. FRID. CHRIST. FUCHSII, *M. D. et Civ. Phyſic.* Commentatio hiſtorico-medica de dracunculo Perſarum ſiue Vena Medinenſi Arabum. Ienae, ap. viduam Io. Rud. Croeckeri, 1781. 4. 40 pagg.

Raro ſolent noſtrates medici vltra compendium ſapere, rarius adire veterum ſcripta, rariſſime ſibi ſumere argumenta, quae ſine fontium cognitione rita tractari nequeunt. Huc pertinet hiſtoria *dracunculi ſ. Venae Medinenſis Arabum*, quam Noſter praeceptoris, Cl. GRUNERI, exemplo motus et concitatus, magna cum eruditionis et lectionis copia explicuit, abſoluit minime.

Abſoluitur omnis libellus *quatuor capitibus. Primum* ſiſtit *vocis ſignificationem et auctorum circa hunc morbum diſſenſum.* Varia eſt nominum apud Arabas ratio, varia apud recentiores, placet vero Noſtro deriuatio a δέρκειν, i. e. *viſus acie eſſe praeditum.* Deinde percenſet diſſenſum auctorum, quoad naturam, cum, quid ſit, ignorarent. Arabes dubitarunt, animalne, an vena, an neruus, nominandus ſit dracunculus; alii ſtatuerunt, eum eſſe animal; alii vero, quorum in numero fuit *Galenus*, dixerunt morbum, apoſtema vel polypum; alii denique confuderunt cum aliis morbis, v. c. cum Narbonnenſium morbo, qui *les Soyes* dicitur, cum teſtudine, puſtulis pilorum, crinonibus, angina et vena bouina. In *ſcholio* quodam refellit Noſter breuiter eorum doctrinam, qui dracunculum Graecorum

p. 4.
p. 8.
p. 10.
p. 15.
p. 18.
p. 19.

corum et ſerpentes Iſraelitarum tortores eosdem
p. 20. eſſe putant. Sub finem capitis additur patria.
p. 21. In *cap.* 2. continetur *ſymptomatum hiſtoria.* Praemittuntur membra, quibus vermis infeſtus eſt, i. e. nuda, rarius ſcrotum. Diuidi vero omnium optime morbus in tria ſtadia poteſt, *ante egreſſum,*
p. 22. *ſub egreſſu, poſt egreſſum.* Primo propria ſunt tumor furunculo ſimilis, motus in loco affecto ſenſus, et dolor, puſtula aquoſa, interdum febris, horror, et aeſtus alternus, pruritus ingratus, rarius vomendi conatus et cephalalgia, pulſatio, tunc puſtula
p. 23. rupta. Altero ſub ſtadio pus vel aqua lactea effluit, vermis caput proſilit, et ſub tertio demum aegri, verme rupto, lente contabeſcunt, vel vlcus fiſtuloſum ſequitur, quod ſphacelo et morte finiri ſolet.
p. 25. Quod ad *prognoſin* attinet, malum vexat iuniores, ſeroſis humoribus ſcatentes, et cacochymicos. Sub vermis extractione, quae ante diem decimum fieri non poteſt, cauenda eſt vlceratio et ſphacelus. Sub ichore dolor grauior, maius periculum ab rupto, quam non rupto verme, a ſuppuratione, ac tabe eſt, idque varium pro variis partibus, quibus incommodat, et felicius vermis extrahitur, qui par-
p. 28. tem adipoſam et ſcrotum occupat. Finit caput iſthoc hiſtoria quaedam a Cl. PALLASIO deſcripta.
p. 29. *Caput tertium* ſiſtit *cauſſas.* Boni ordinis ergo Noſter primum memorat, qui ſanguinem corru-
p. 30. ptum et craſſum accuſant; deinde qui aquam im-
p. 31. puram et vermibus grauidam recenſent; poſt qui
p. 32. victui malum hoc adſcribunt, denique qui congenitos dracunculos putant.
p. 33. *Caput quartum* complexum eſt *medendi viam,* quae in eo fere verſatur, vt tumor molliatur et aperiatur, vt vermis extrahatur, vt vulnus apertum conſolidetur. Haec quidem ex fide veterum et recentiorum medicorum bene percenſuit Noſter.

XVI.

XVI.

IOSEPHI IACOBI PLENK, *Chir. D. nec non Chirurg. Anat. atque Artis Obſtetric. Prof. Reg. publ. ac ord. in Regia Vniuerſitat. Budenſi*, Elementa medicinae et chirurgiae forenſis. Viennae, ap. Rud. Graeffer, 1781. 8. 184. pagg.

Pergit Cl. PLENK ea, qua coepit, via in explicandis ſiſtendisque variis medicinae partibus, ſecutus eum ordinem, vt ſub *quaeſtionibus ex foro criminali, ex foro ciuili, foro canonico et foro politico* omnia complectatur, in quibus vulgo medicina forenſis et politia medica verſatur. Hanc quidem praemittendam, illam poſtponendam, quaeſtiones ex iure ciuili iis, quae ius criminale offert, priori loco collocandas putamus. Tractatio vero ita facta eſt, vt in tabulis veluti res omnis adumbrata ſit, et lectores vno obtutu reperiant, quicquid hac in diſciplina ſcitu cognituque dignum videatur. Anteit *quaeſtiones ex foro criminali* generalis explicatio rerum, ad medicinam forenſem pertinentium, et ſequuntur inſpectio cadauerum legalis, ſigna homicidii per vulnus, contuſionem, ſuſpenſionem, ſubmerſionem, ſuffocationem, toxicationem, et ineptam curationem, nec non autochiriae (nonne vis propria alienae anteponenda?) ſigna infanticidii, procurati abortus, ſubiecti pro tortura et ſufferenda poena, addita excuſatione delinquentis. p. 1. p. 48. p. 58. p. 66.

Altera libelli pars, etſi non interſtincta, *quaeſtiones ex foro ciuili* complectitur, puta ſigna capacitatis haereditariae, patris et matris illegitimae, infantis viui, mortui, maturi, praematuri, immaturi, ſerotini, ſuppoſiti, ſuperfetati, primogeniti, grauiditatis ſimulatae, vel celatae, partus praegreſſi et ſimulati, molae enixae, defloration is, ſtupri violenti, p. 70. p. 71. p. 84. p. 96.

p. 99. et non naturalis, aetatis, morbi ſimulati, celati, imputati.
p. 109. Parte tertia continentur *quaeſtiones ex foro ca-*
p. 110. *nonico.* Praeuia doctrina de diuortio, narrantur
p. 120. ſigna ſterilitatis et impotentiae, monſtri et ſexus
p. 125. dubii, daemoniae, magiae, ſpectri, miraculi, obiecti
p. 136. pro baptiſmate.
p. 140. Pars quarta ſiſtit *quaeſtiones ex foro politico.*
p. 141. More ſuo Noſter refert primum politiam medicam
p. 146. generatim, deinde ſubiicit curam magiſtratus pro
p. 149. conſeruanda ſanitate publica tempore morbi con-
p. 151. tagioſi, pro ciuibus aegrotis et aſphyctis, pro ma-
p. 161. trimonio, populatione, grauidis, parturientibus, in-
p. 164. fantibus neonatis, educatione phyſica, mortuis, pro
p. 170. lue pecorum, ſcholis medentium, et ſoſtro.
p. 182. Hactenus Noſter. Inter legendum reperiuntur multa bene deſcripta, pauca noue dicta, (neque hoc in compendio adeo exſpectes,) plura barbare dicta. Ne vero prorſum ἀσύμβολοι recedamus, quam fieri poteſt breuiſſime, indicemus, quae au-
p. 40. ctori Noſtro propria eſſe videantur. Autochiriam diuidit in malitioſam, deliroſam et dubiam, eamque iterum ait eſſe vulnerariam, ſuſpenſoriam, ſubmerſoriam, toxicatoriam, praecipitatoriam. (Autochiria
p. 63. ex opio num talis non eſt?) Torturam nominat valde incertum et periculoſum veritatis eruendae re-
p. 91. medium. Virginitas dicitur eſſe phyſica, moralis,
p. 95. deflorata, et hymen non temere datus homini. Si-
p. 98. gna paederaſtiae, et cinaedi incerta ſunt, nec ſigna
p. 99. aetatum infallibilia. Fanatici et agyrtae in morbis
p. 121. ſimulatis ponuntur. Dantur hermaphroditi maſcu-
p. 125. lini et feminini. Dantur quatuor daemoniae ſpecies, vera, ſimulata, imaginaria, imputata; ſubdubi-
p. 128. tat tamen Noſter de veris daemoniacis. Similiter magia vera, ſimulata, artificialis, imaginaria, impu-
p. 133. tata, item ſigna ſpectri et miraculi memorantur.

Haec

Haec vero partes ad forum medicum pertinere, perquam vehementer dubitamus. Proprium deni- p. 173.
que Noſtro eſt caput de cura principis pro ſcholis medentium, in quo tamen multa deeſſe videntur, quae ſcitu neceſſaria putes.

XVII.

Bemerkungen über die von Herrn BERNHARD GUERARD *an einer Gebährenden zu Düſſeldorf gepflogene auſſerordentliche Entbindungsart hauptſächlich die Schaambeintrennung betreffend, von* LUCAS BOOGERS, *der Wundarzney- und Entbindungskunſt Magiſter. Wien, bey Rud. Graeffer, 1780. 8. 71 Seiten.*

i. e.

Animaduerſiones in extraordinariam BERNARDI GUERARD artem obſtetricandi, inprimis ſectionem ſynchondroſeos pubis, auct. LUCA BOOGERS, *Chir. et Art. Obteſtric. Mag.*

Auſus erat GUERARDUS, etiamſi rudis ab arte bene dextreque obſtetricandi, ſectionem ſynchondroſeos pubis et temerarie ac foede ſuſcipere, et in vulgus dare. Nefandum facinus et carnifice dignius. Inſumſit ergo Noſter taedioſam, at vtilem operam in explicanda ignorantia operatoris ſcilicet. Opinatus erat GUERARDUS, ſubeſſe diametrum ſuperiorem minus patentem, et in capite partuum p. 11.
tuber, ideoque faciendam hanc operationem; Negarat quidam ſocius, vllam requiri chirurgiam, poſ- p. 16.
ſe verſione viuum naſci fetum; Sequitur ergo Noſter viam magni ſcilicet artificis, et *ſectione I.* narrat p. 17.
verſionem, trium horarum ſpatio factam et in ſolo p. 18.
pede nato comprehenſam.

p. 21. *Sect. II. vero ſectionem ſynchondroſeos et iterum*
p. 24. *tentatam verſionem.* Vanam hanc fuiſſe, docet Noſter ideo, quia peluis nullo modo ita dilatari poterat, vt fetus viuus vel mortuus naſcendus videretur.

p. 45. In *Sect. III.* tandem ex aequo aeſtimatur, quam male GUERARDUS pedis alterius exciſionem, irrita illa vtraque operatione, ſuſceperit, vtpote arti non
p. 54. conſentaneam, et infelicem. Hinc in *Sect. IV.* expenditur noua carnificina, *perforatio cranii*, quia caput iſti crudelitati non obſecutum et vterus contractus erat. Nam iterum male ceſſit hoc auſum. Oſſa abrupta diſceſſerunt, caput minime extrahi potuit. Acquieuerunt ergo artifices, natura ipſa deorſum depreſſit caput, et partum, vel inuitis medicis, abſoluit, ſed matris cum morte, quae die viceſimo primo gangraenam excepit. Molliter oſſa cubent!

Miſera res vitae *Langiae* noſtrae putanda eſt, cum in manus talis tamque imperiti medici obſtetricii incurreret. Talem enim tamque multiplicem operationem vix auderet carnifex, vel crudeliſſimus, ſed auſus eſt magiſter artis obſtetriciae et Conſiliarius medicinalis Duſſeldorpienſis.

XVIII.

Unterſuchung des Werths der Trennung der Schoosbeine bey ſchweren Geburten von BERNHARD CHRISTOPH FAUST *D. A. D. Gotha, bey Carl Wilhelm Ettinger*, 1780. 8.

i. e.

Disquiſitio, quo loco habenda ſit ſectio ſynchondroſeos in partu difficili, auct. BERNARDO CHRISTOPHORO FAUST, M. D.

Ex quo ſectio ſynchondroſeos in vulgus prodita eſt, non potuit non fieri, vt iſta operatio et laudaretur,

laudaretur, et culparetur. Noua enim eſt, nec adhuc ſatis definita, ideoque nec promiſcue adhibenda. Eſt vero Cl. FAUST eorum ex numero, qui hanc ſectionem, niſi prorſum deſerendam, tamen ſectioni caeſareae longe poſtponendam putant. Nec male rem ſuam peregit Noſter, etſi affectata nimis oratione.

Agit *Cap. I. De ſeceſſione oſſium peluis.* Praeuia p. 1.
deſcriptione iunctiurae et cartilaginum, oſſibus pelvis circumdatarum, examinat Noſter argumenta eorum, qui talem ſeceſſionem ſtatuerunt. Negat p. 22.
ergo, aliquid valere ſtructuram cartilaginum, quae oſſi pubis propriae ſunt, niſi et reliquae recedant, oſſibus innominatis et ſacro datae; nec ſecerni vel p. 23.
excerni mucum in natura mulieris grauidae, praeterquam ſub fine, aliter ac CAMPERUS docuerat; Contendit falſum eſſe, cartilagines oſſium pubis in p. 24.
mortuis puerperis inueniri emollitas et veluti craſſas factas, quod ſi vnquam, laxitati deberetur; fal- p. 25.
ſam et experientiae contrariam Cl. LODERI affirmationem, haſce cartilagines pro ratione partuum incraſſari; primum partum nec ſemper, nec vere p. 26.
difficilem eſſe; imo vero falſiſſimum eſſe, quod LUDOVICUS et LODERUS dixerant, inter peluim in caſu ordinario et naturali et inter fetum nullam dari proportionem; ridiculam videri LODERI, quippe anatomici, argumentationem, huius ſeceſſionis ergo ex variis oſſibus et cartilaginibus peluim fuiſſe compoſitam. Vlterius progreſſus eſt Noſter, et p. 27.
vberius oſtendit, vana eſſe argumenta, quae a preſſura fetus in peluim ſub partu difficili, dubia vero p. 29.
exempla earum, quibus hoc in caſu oſſa peluis a ſe deflexerant, quia perpauca ſunt, et a ſtatu morboſo p. 31.
potius, quam partu, profecta, cum et in viris, et in feminis carcere detentis ac debilitatis reperiantur. Sed nec in his ſubſtitit Noſtri dubitatio, cum con- p. 32.

ſtaret

ſtaret inter omnes, oſſa peluis arctiſſima colligatione
p. 33. inter ſe deuinciri, peluim non dilatari, poſita et conceſſa etiam cartilaginum oſſibus innominatis et ſa-
p. 34. cro interpoſitarum craſſitie; docet cartilagines haſce eſſe longe tenuiores, ac quae pubi datae ſunt, ideoque ad cedendum aptiores, neque proficere poſſe hunc diſceſſum, cum ſic caput fetus nec comprimi,
p. 35. nec formari videatur; metuendas ab hac laxitate, ſi vera eſſet, luxationes ab partu difficili, denique ne in difficillimo partu quidem tale vitium a Cl. STEI-
p. 36. NIO obſeruatum fuiſſe. Ex his tandem colligitur, hanc ſeceſſionem neceſſariam non eſſe putandam.

p. 41. In *cap.* 2. communicatur cum lectoribus reſponſum quoddam, de partu difficili a LE ROY datum, in quo et latini ſermonis puritatem, et argumentorum grauitatem deſideres.

p. 49. *Cap.* 3. agit *de dilatatione peluis ſub partu difficili ſectionis ſymphyſeos miniſterio.* Cum partus difficilis vtplurimum oriatur a pelui, capite fetus lon-
p. 50. ge minori, praemittitur naturalis diameter peluis
p. 60. minoris, indeque conficitur, nihil ab hoc calculo veri repeti oportere.

p. 62. *Cap.* 4. verſatur in explicando *periculo, quod receſſum oſſium pubis ſequi debeat.* Huc retulit Noſter laeſionem veſicae, oſſeam cartilaginum pubis
p. 64. naturam, quae et oſſi ſacro inſidere poſſit, ac chirurgiam irritam facere, ruptionem telae celluloſae, quae peritonaeum et collum veſicae oſſibus pubis
p. 65. alligat, nec non veſicae ipſius, et virgae muliebris, ſciſſuram lineae albae, et perfectum oſſium inno-
p. 69. minatorum ac ſacri diſceſſum, ligamentorum trans-
p. 70. verſalium diſciſſionem, veſicae vrinariae incarcerationem, tandem periculoſam inflammationem.

p. 74. *Cap.* 5. *de pretio* inſcribitur, *quod ſectioni ſymphyſeos oſſium pubis attribuendum videatur.* Sub auctore Noſtro haec operatio nec in partu difficili facienda

facienda eſt, nec ſectioni caeſareae praeferenda. Sub calcem libelli ſubiiciuntur quaedam *iudicia* et *excerpta* ex ſcriptionibus huc pertinentibus, Cl. LE ROY, SIEBOLDI et BENTELY. p. 82.

XIX.

KARLS VON KRAPF, *Ihrer kaiſerl. königl. Apoſtol. Maj. Raths und Leibarztes, anatomiſche Verſuche und Anmerkungen über die eingebildete Erweiterung der Beckenhöhle in natürlichen, und angeprieſene Durchſchneidung des Schaambeinknorpels in widernatürlichen Geburten, mit daraus gezogenen Lehrſätzen. I. Theil. Wien, zu finden in der von Ghelenſchen Buchhandlung,* 1780. 8. 72 *Seiten. II. Theil.* 1781. 161 *Seiten.*

i. e.

CAROLI AB KRAPF, *Maieſt. Imper. Conſiliarii et Archiatri* Tentamina anatomica et animadverſiones in imaginariam dilatationem peluis ſub partu naturali, et in commendatam ſectionem ſymphyſeos oſſium pubis ſub praeternaturali, vna cum corollariis inde ductis.

Non vltimus ex aduerſariis ſectionis ſymphyſeos Noſter eſt, cum et experimentis, et argumentis abunde doceat, peluim ſub partu naturali non dilatari, neque hanc nouam operationem adeo multum commodi adferre, ac defenſores nobis perſuadere cupiant. Recenſentur ergo in *parte prima quindecim experimenta*, indeque eliciuntur *quinque et viginti corollaria*, quae eo fere redeunt. Oſſa peluis arctiſſime inter ſe colligata ſunt cartilaginibus, et ligamentis tendinoſis, eamque ob rem cartilago pubis diſtendi non poteſt ſine diſceſſu oſſium innominatorum. p. 1. p. 39.

p. 42. torum. Sub partu cartilagines vincientes nunquam
p. 44. extenduntur, cartilago vero, pubi data, nec in graviditate, nec in partu mutatur, quoad craſſitiem et latitudinem, ſpatium, ab diſciſſa ſymphyſi oſſium pubis natum, eſt in ratione craſſitiei et profundita-
p. 45. tis ſecantis cultri, et profunditatis cartilaginis. Eſt vero iſte diſceſſus nunquam voluntarius, ſed cultro
p. 58. referendus in acceptis, neque cogitari poteſt ſine magna violentia et ruptione oſſium innominatorum, fieri tamen poteſt magis in iunioribus, quam
p. 62. adultis. Praeferenda tamen eſt haec dilatatio oſſium pubis ſectioni caeſareae, vtpote minus periculoſa,
p. 72. nec minus vero ſimile, in caſu feminae *Souchot*, cum caput fetus extraheretur, oſſa pubis diſceſſiſſe a ſe inuicem quatuor pollices, et probandum videri defenſoribus, eandem feminam eſſe perfecte ſanatam. (Id vero nunquam factum eſſe, Cl. HUNCZOWSKY nuper aperte profeſſus eſt).

Eadem via progreſſus eſt Noſter in *parte altera*.
p. 1. Deſcribit enim in *ſectione prima nouem experimentis*, qui ſit habitus cartilaginum pubis in feminis partum expertis, vnde patet, hanc ſymphyſin rarius
p. 22. latiorem, quam in virginibus reperiri. In *ſectione ſecunda* memorantur *ſex experimenta*, ex quibus conſtat habitus huius cartilaginis in cadaueribus earum, quae ſub finem noni menſis vel breui poſt partum mortuae erant. Ex his liquet, eam ſub
p. 38. partu non extendi. In *ſectione tertia*, quae *de oſſificatione ſymphyſeos in feminis iunioribus et conceptioni aptis* inſcribitur, et *ſex experimentis* docetur, hic haud raro locum habere oſſeam naturam; oſſis coccygis fracturam non ſemper requirere repoſitionem, et idem illud os in viris ac feminis eſſe mo-
p. 57. bile. *Sectio quarta* verſatur in *impedimentis greſſus ab oſſibus pubis ſolutis vel diſſidentibus*, et *quatuor experimenta* continet, quibus dilucide oſtenditur,

hac

hac ratione greſſum et tardiorem, et difficiliorem fieri.

Iam ſequuntur *corollaria* 19. vnde in apricop. 64.
ponitur, hanc ſymphyſin in iis feminis, quae plu-
ries fetum enixae ſunt, nequaquam differre ab iis,
quae nunquam pepererunt; neque hanc cartilagi-p. 65.
nem in mortuis ſub affectam paene grauiditatem vel
partum feminis ſucculentiorem eſſe, quam in virgi-
nibus; hanc in grauidis ſaepenumero deprehendip. 78.
adeo tenuem, vt cultrum ſecantem effugiat, et in
feminis 24 annorum iam reperiri oſſeae indolis;
huius cartilaginis ruptionem ſequi debere ruptio-p. 82.
nem oſſium innominatorum, ideoque puerperam
nec progredi, nec ſtare, nec erectam ſedere poſſe;
hunc diſceſſum ſymphyſeos oſſium pubis videri in-p. 107.
vtilem, ſi oſſa innominata cum oſſe coccygis ita ſint
copulata, vt ne manu poſſint diuelli vel frangi; abp. 109.
oſſe coccygis oſſificato vel antrorſum lato ſequi
oportere ruptionem vel diſceſſum; ſectam ſymphy-p. 111.
ſin, etiamſi linea vna non maiorem, ſemper digito
ſentiri poſſe; ac reperiri quandam oſſium motio-
nem ab diductis cruribus; veſicam firmiter ſym-p. 115.
phyſi accretam facile ſub operatione diſcindi vel
rumpi poſſe, ſaepius vero laedi vaginam, ſi oſſa pu-
bis duo vel quatuor pollices a ſe diuellantur; ſectio-p. 116.
nem ſymphyſeos tunc demum vnicum et praeſen-
tiſſimum matris ſeruandae eſſe praeſidium, ſi peluis
introitus iuſto anguſtior, neque caput deorſum la-
tum forcipe, vel alio inſtrumento apprehendi, ne-
que ſectionis caeſareae beneficio ex pelui retrorſum
duci poteſt. Hoc quidem vberius exemplis nuper
memoratis confirmatur.

XX.

FERDINANDS MARTINI, *Königlich Däniſchen Regiments-Feldſchers, Betrachtungen in der Lehre von*

von den Kopfwunden. 4 Theile. Hamburg, in Commiſſion in ſeel. Chriſtian Herolds Wittwe Buchhandlung, 1780. 1781. 1782. 8. 4 Alph. Bogen. 5ter Th. eben daſ. 1784. 318 Seiten.

i. e.

FERDINANDI MARTINI Animaduerſiones circa doctrinam de vulneribus capitis.

Libri huius Auctor, cuius ingenii vim, et attentionem ad mutationes naturae iam occaſione primi ab Ipſo editi ſpeciminis laudauimus *), et qui pluribus, quorum vnum a nobis indicatum eſt **), innotuit, eadem ingenii vi ad hypotheſes, magna ex parte improbabiles, amplectendas, nouaque, plerumque minus idonea, Germanica nomina excogitanda ſeduci ſe paſſus eſt, et ſingularitate quadam placere velle videtur. Nec nobis perſuadere poſſumus, fore, vt doctrina vulnerum capitis iis, quae in libro hoc propoſita ſunt, multum illuſtretur, quum partim varia immixta ſint, quae ad ipſam minus ſpectant, partim obſeruationes, ad dicta comprobanda adductae, et fere omnes ex aliis Auctoribus depromtae, non ſemper apte electae ſint, molemque libri ſine vlla ratione augeant, partim denique expoſitorum ordo minus idoneus ſit. Diviſus eſt liber in quatuor partes, quibus quinta addita nuper eſt, paginarum quidem, non autem capitum, numero interrupto. Quorum quinque priora prima, quatuor ſequentia cum obſeruatione quadam ſecunda, decimum, vndecimique ſectiones duas priores tertia, poſteriores duas vero cum duodecimo capite quarta pars complectitur. Annexa denique eſt Cl^i TODII recenſio primae partis, contra

*) comment. Noſtr. Vol. XV. p. 30.
**) comment. Noſtr. Vol. XVIII. p. 259.

tra quem Auctor grauiter, nec adeo modeſte ſe defendit.

Caput primum, vulnera capitis inflammari poſſe, rationibus demonſtrans, in tres diſtribuitur ſectiones. Quarum prima inflammationis et ſuppurationis theoriam Auctoris exhibet. Ex qua ſequentia indicaſſe ſufficiat. Vis irritabilis ab anima aliaue cauſa ſtimulante per neruos excitatur, non autem vbi elaſtica, vel mortua, cum actione neruorum communionem habet. Motus cordis mechanica quadam in cerebro diſpoſitione, et gangliorum ope perficitur. Reſpiratio vnica eſt voluntaria circulationis cauſa. Extenduntur et tument partes, ſi, ſtimulo diutius durante, anima ad eum minus attendit, indeque debilitatur neruoſa et motiua vis. Quatuor ſunt ſenſationum genera; naturalis, menſura virium in muſculos, praeternaturalis, quam neruorum aliquot obſtructio facit, et conſentiens, ſeu ex naturali et praeternaturali commixta. In neruorum, cauorum cylindricorum, parietibus ſunt tabernacula, maxime irritabilia; irritabile in eorum gangliis et plexibus in diuerſas fibras ſimul agit; neruus in conſenſum trahendus, ſiue conſentiens, in irritabili loco prope neruum irritantem format ſaccum, plures globulos capientem, vi irritabili, electricae forte ſimili, exhauſta tumor iterum diſcutitur. Dolor, a diſtractione neruorum pendens, in partium extenſione eſt pulſans; eadem et contractione alternantibus fit pungens; neruorum conſentientium actio tumorem auget. Vera dicitur inflammatio, ſi vis irritabilis ſtimulum ſuum per totum circulationis ſyſtema propagauit. Horror, eam qui praegredi ſolet, abeſt, ſi fortior ſtimulus accedit ante, quam prior vndique propagatus eſt. Tumor inflammatorius, (*entzündlich*) naſcitur cum dolore ante, quam horror febrilis acceſſit; ille vero, qui contuſio audit,

p. 2.

p. 5.

p. 6.

p. 8.

p. 24.

p. 29.

p. 30. dit, (*Quetſchungs-Geſchwulſt*) coniunctam habet ſolidorum relaxationem, fluidorumque effuſionem, frequentiſſimeque occurrit in cerebri commotionibus,
p. 35. vbi vero ſolae arteriae extenſae ſunt. In laeſione cerebri horror citius contingit, quo maior iſtius maſſa laeſa ſit; citius, ſi concuſſum, quam ſi contuſum; citius, ſi contuſum, quam ſi vulneratum, citius in magnis, acriumque humorum ad cerebrum transitum coniunctum habentibus, capitis vulneribus; citius, ſi molles, quam ſi durae capitis partes vulne-
p. 36. ratae fuerint. Remedia, quae irritabilitatem auctam imminuere valent, in inflammatione etiam multum
p. 47. praeſtant. Pulſus criticus ſit oportet fortis, amplus,
p. 70. magnus et celer. In vera inflammatione humores tantum in arteriis errant, venae enim irritabili virtute carent, et in haemorrhoidibus rami venae portae, arteriarum natura imbuti, arteriaeque in venarum ambitu decurrentes, attendendae ſunt.
p. 73. Sectio ſecunda cerebri ſtructuram, eiusque par-
p. 85. tium diſpoſitionem demonſtrat. Fluidi neruei, forſan electrici, globuli maiores in cerebello ſecernuntur, in eo enim ſunt ſectiones minorum circulorum.
p. 88. Tantus eſt numerus punctorum animae ſenſatoriorum (*Fühlhörner*), quantus neruorum; horum vero, quorum vis mortua minima eſt, numerus maior numero ductuum excretoriorum. Pars medullaris, quae his, punctisque ſenſatoriis non inſeruit, corticique propior eſt, animae ſuum largitur domici-
p. 98. lium. Haec vero, quae etiam ſine corpore ſentire et agere valet, et cuius partes, quum cerebrum varie mutari et indurari poſſit ſine vlla intellectus lae-
p. 103. ſione, forte ſunt organa cogitandi, creditur futurum corpus praebere ſpiritui, ab illa probe diſtinguendo, qui ea, velut organo cogitandi vtatur. Anima vero ante mortem, interdum etiam in vita, ſe in ſe ipſam retrahere ſolet.

Sectio

Sectio tertia de cerebri inflammatione opinionem Auctoris tradit. Neruorum durae matris cerebrique inflammati canales ampliores fiunt, inde dolor. p. 109.

Cortice inflammato imminuitur fluidi neruei secretio, inde obtunditur ſenſus, impeditur motus muſcularis, oriturque paralyſis vel apparens, vel vera. p. 116.

Frequentius tum occurrit pulſus volutans (*wühlend*) debilis et celer, quam paruus, arctus et durus. p. 121.

Peregrina materia fluido nerueo immixta oriuntur morbi neruorum chronici, incurabiles.

Medulla cerebri inflammata, augetur fluidi neruei ſecretio, inde moleſte augetur ſenſus, ſpaſtice contrahuntur nerui, in eorum parietibus haeret acre, quare ſenſationes falſae. p. 130.

Motus voluntarii tum aucti ſpiritui praeter voluntatem contingere videntur. p. 134.

Medulla et cortice inaequali gradu in locis ſibi non reſpondentibus inflammatis obuenit motuum varietas cum varia celeritate, inde maior confuſio, tremores, conuulſiones. p. 135.

Maſſa animae in cerebri inflammatione modo laxior, modo denſior fit, inde diuerſitas ſenſationum, falſae ideae, motusque irregulares. p. 137.

Variae inflammationis cauſae modo coniunctim agentes, modo ſeſe inuicem tollentes faciunt motuum voluntariorum in- et decrementum.

Maſſa animae ſi iuſto laxior, gaudet ſpiritus; ſin aequo denſior, triſtis eſt; vtroque vero pathemate ſimul afficitur, ſi altera animae maſſae pars laxior, altera denſior eſt; e. ſ. p. p. 141.

Qui de intellectu in cerebri inflammatione mutato verum ferre velit iudicium, is attendat ad innatam animae, cuius ſedes vel ſecundum, vel praeter naturam in aliis amplior, in aliis anguſtior eſt, indolem, aegri educationem, connubium, quod iſte cum aliis aluit, et alia ſimilia. p. 151.

Vaſorum ad parietes domicilii animae decurrentium amplitudo nimia, inaequalis, et morboſa iam diſponit ad maniam.

p. 153. Capite ſecundo, quid cauſae electricae in con-
p. 165. cuſſione cerebri valeant, exponitur. Globus tormenti electrophori ad inſtar electricam induit materiam, electricaque eius cauda caput iam, leuiter
p. 179. tantum perſtringendo, laedere poteſt. Materia electrica extendit et obſtruit vaſa cerebri; ſubito contrahit muſculos et arterias; raro ſolo capitis motu commouet cerebrum; ſed ſaepius in illud agit, vti terror, quo etiam ipſum commouetur, indeque iis nocet, qui vel parum, vel plane non electrici ſunt.
p. 187. Fulmen laedit in maxima; cauda globi electrica in minori; ſcintilla e machina educta in minima diſtantia. Incertum adhuc, in quanam a globo diſtantia, et quo celeritatis gradu motus globus tormenti aliquid de capite auferre queat.
p. 189. Caput tertium, quartum et quintum ſigna vulnerum capitis ex ſopore, reſpiratione mutata, et
p. 270. falſis ſenſationibus, illuſtrat. Quae, quomodo explicentur, ex iis, quae ex prioribus capitibus adduximus, ſatis patebit.

Part. II. Caput ſextum, ſenſationes in genere poſſibiles
p. 4. eſſe, declarat. Illa eſt falſa ſenſatio, quae vno vel pluribus eorum caret, quae ad veram requiruntur. Scilicet ad hanc pertinent actio obiecti praeſentis in corpus; apta corporis, qua actionis huius impreſſionem ſpiritui ad contemplandum tradit, diſpoſitio; ſana ſpiritus de actione hac cogitatio; iſtius denique impreſſio in memoriam, qua conſcientia
p. 27. rerum perficitur. Defenduntur ſenſationes ſpirituales, vel ſine corporis adiumento ortae, vel variorum ſpirituum in alios actione productae.
p. 61. Caput ſeptimum, cerebrum concuti poſſe, de-
p. 91. monſtrat. Concuſſionis cerebri cauſa eſt celer motus cranii, quod exemplo morbi nauigantium patet;
p. 98. Aliae vero etiam ſunt cauſae, quibus ſanguis vehementius ad caput pellitur, velut terror, ira, gaudi-

um,

um. Anterioris capitis commotio rarius cum humorum in ventriculos effuſione coniuncta eſt, quam illa poſterioris. p. 112.

Caput octauum docet, aëris collectiones quid in vulneribus capitis ſignificent. Excernitur vero aër ex vaſis corporis humani, in quibus nullus fixus eſt humoribus immixtus, intra viſcerum cauitates, morboſe in globulos collectus. p. 121. p. 125.

Capite nono ſigna vulnerum capitis ex ſenſationibus, quas aeger in capite percipit, petita exponuntur. Eidem adiecta eſt obſeruatio non adeo ſingularis. p. 156. p. 283

Capite decimo, quamnam vim globus tormenti in caput exſerat, oſtenditur. Tempus, quo haec vis ſeſe exſerere ſtudet, ab illo, quo ſeſe per totum caput diffundit, diuerſum, definitur celeritate, qua globus mouetur, magnitudine corporis agentis, angulo, quo ipſum incidit, et reſiſtentia, quam laeſus locus contra deſtructionem, quae vlterior vis illius in ambitum actio tollitur, praeſtat. Quae omnia methodo mathematica pertractantur. Simulque reſpicitur ad aëris vim, quâ globo reſiſtit, eiusdemque qualitatem, v. c. electricam. P. III. p. 4. p. 113.

Caput vndecimum, quo ſigna vulnerum capitis ex mutationibus externae ſenſualitatis depromta conſiderantur, prima ſectione illius imminutionem; altera eiusdem augmentum ſenſationemque a cerebro remotam; tertia iſtius errores; quarta denique veri caloris mutationes contemplatur. Quae omnia ad illarum, quas aſſumſit Noſter, opinionum normam expoſita ſunt. p. 127. p. 128. p. 204. P. IV. p. 1.

Capite tandem duodecimo ſeri collectiones in vulneribus capitis fieri poſſe, comprobatur, illarumque ſigna indicantur. Qua occaſione Auctoris ſententia de ſecretione humorum fuſe admodum exponitur. p. 149.

Quinto volumine inprimis aquarum ex capitis vulneribus collectiones pertractantur. Dari in cerebro vaſa lymphatica adſeritur, eaque a vi externa cerebro illata aut ſcinduntur, aut praeter naturam dilatantur, aut comprimuntur, ex compreſſione obſtruuntur, hoc modo, vt aquam emittant, quae in variis cerebri locis colligitur. Varia cerebri loca, in quibus tales collectiones obſeruatae ſunt, pertractantur, cauſſaeque talem collectionem efficientes, cerebri irritatio, inflammatio, vis alia externa varia, atonia.

p. 131. Quantum poſſibile ſit, vt in capitis vulneribus cutis a bilioſo fomite alienum colorem contrahat, et quaenam ſigna talem mutationem adeſſe probent, ſpeciali articulo pertractatur. Varii ſanguinis in tela celluloſa ſubter cutem partium externarum et internarum effuſi colores a bile deriuantur, adſeriturque, in bile adeo nigri, omniumque aliorum obſcurorum colorum origines latere.

p. 213. Meditationes circa poſſibilem praeſentiam animi facultatum inferiorum in corpore. Paululum confuſe hic omnia dicta ſunt, vt verum auctoris ſenſum eruere vix poſſimus.

XXI.

Traité des maladies et des operations reellement chirurgicales de la bouche et des parties qui y correſpondent; ſuivi de notes d' obſervations et de conſultations intereſſantes tant anciennes que modernes, par Mr. JOURDAIN, Dentiſte, reçu au collége de Chirurgie. — Tome I. a Paris, chez Valleyre l' ainé. 1778. in 8. 584 pagg. Tome II. 1778. 662 pagg.

Germanice

Germanice hic liber prodiit, titulo:

Herrn JOURDAIN, *Zahnarztes, Abhandlung über die chirurgiſchen Krankheiten des Mundes und der mit demſelben in Verbindung ſtehenden Theile. Nebſt Beſchreibung der dabey vorkommenden chirurgiſchen Operationen. Aus dem Franzöſiſchen, mit Kupfern. Erſter Theil, Nürnberg,* 1784. 8. 626 *Seiten. Zweyter Theil, eben daſ.* 1784. 8.

i. e.

De oris chirurgicis morbis tractatio, Auctore Cl. JOURDAIN.

Primo volumine maxillae ſuperioris, altero inferioris maxillae morbi comprehenduntur. Ideis generalioribus de ſtructura ſinuum maxillarium exhibitis, vbi ſimul demonſtratur ſinus maxillares in foetu vere exiſtere, eos autem lente increſcere, vt externa eorum lamina intra annum XL. et L. demum debitam ſuam craſſitiem acquirat, Noſter aſſerit, ſe in quibusdam hominibus morbis putridis denatis mucoſum ſinuum maxillarium humorem craſſum, foetidum, flauum, virideſcentem, inueniſſe. In aliis hi ſinus materie quadam pingui repleti fuerunt. Et in apoplexia defunctis vaſa ſinuum maxillarium varicoſa inueniuntur. In his, quos varioloſus morbus necauerat, Noſter in ſinuum maxillarium tunica loca exulcerata punctaque ſuppurantia inuenit. Cancroſa vlcera ſubinde per metaſtaſin in ſinus maxillares deferuntur. — Obſeruauit et Cl. Vir in duobus cadaueribus ſinum maxillarem lamina oſſea recte decurrente diuiſum. Quum aliquando Cl. Auctor ſpecillum in ſinum maxillarem intrudere vellet, nec res ſuccederet, inciſo cadauere ſinum maxillarem oſſea ſubſtantia perfecte repletum inuenit.

Subinde et oſſa turbinata naſi ſuperiora tam valde incuruata ſunt, vt aditum omnem in ſinus maxillaris hiatum ſpecillo denegent.

Tempus, ex quo chirurgi ſinuum maxillarium morbos paululum accuratiori cura dignos iudicarunt, annus 1750 eſt, quo anno *Rungius* diſſertationem ſuam edidit. Veteres ſinuum maxillarium morbos ſub ozaenae nomine maxime comprehenderunt, et licet ſinuum maxillarium probe gnari, nullos tamen eorum morbos exacte deſcripſerunt.

p. 32. Generaliores ſinuum maxillarium morbi infarctus, retentio et effuſio humorum in iis ſunt. Saepiſſime infarctus a malo dentium et gingiuarum ſtatu dependet. Omnia, quae aut tranſpirationem intercipiunt, aut tumores alio modo condenſant, aut denique fibras rigidas reddunt, infarctibus aut ſanguineis aut lymphaticis in ſinubus maxillaribus anſam dare poſſunt. Diagnoſtica talis infarctus ſanguinis ſigna ſunt grauitatis in ſinu maxillari ſenſus, emunctionis difficultas partiumque ſub ſinu aegro ſitarum dolor quidam. Lymphatico vero infarctu exiſtente, aeger grauatiuum in capite ſenſum percipit, partes vicinae pituita infarctae omnes ſunt, ſed absque dolore. Tandem accumulata materies putreſcit, non vero ſuppuratur, ſed in ſaniem transit. His praemiſſis de inflammatione ſinuum maxillarium agitur.

In curatione morborum ſinuum maxillarium omnes eo reſpexerunt, vt collectae materiae exitus quidam pateret. Simul et medicamenta chirurgica recenſentur, quae in chirurgicis ſinuum maxillarium morbis laudata ſunt.

p. 59. De dolore et irritatione ſinuum maxillarium. Hic non ſemper a dentibus cariofis producitur. Muci in ſinu maxillari retentio cognoſcitur ex muci in nare defectu, in cuius ſinu mucus retentus eſt,

ſanaturque

ſanaturque ſpecilli per foramen ſinus maxillaris naturale, quod in naſu terminatur, intruſione, iniectionibusque per idem foramen in ſinum maxillarem aegrum illatis. Modum ſpecillum ingerendi Noſter a pag. 82 exacte, et hoc modo deſcribit, vt nouam quodam modo et initio paululum difficilem, ſed his, qui vſu exercitati ſunt, facilem, non dolorificam aegris methodum plurimos ſinuum maxillarium morbos ſanandi in lucem proferat. Subinde mucus in ſinubus maxillaribus a venereo morbo, ab eryſipelate praegreſſo, caet. retinetur.

Subinde autem et foramen ſinuum maxillarium aut obſtructum penitus aut ex oſſeo coalitu clauſum eſt. Tunc fiſtulae oriuntur pertinaciſſimae, nec alio modo, niſi reſtituto foramine, ſanandae. Foramen penitus obliteratum Noſter corroſiua medicina foraminis loco applicata reſtituit, fauſto vtplurimum cum ſucceſſu. Si vero a craſſiori muco foramen obſtructum eſt, ſufficit cauo ſpecillo in foramen intruſo infuſa abſtergentia cum melle iniicere. p. 106.

Interdum et lymphatici humores tanta copia in ſinubus maxillaribus accumulantur, vt hydropis ſpeciem, diſtento praeſertim externo ſinus pariete, inducant. Externum ſinus parietem hoc in caſu chirurgi cultro reſcindere ſuaſerunt, Noſter vero, dentibus carioſis extractis, perforatoque ſepto, quod alueolos a ſinu maxillari ſeparat, iniectionibus abſtergentibus leniterque demum conſtringentibus hunc morbum ſanat. p. 127.

Diligenter in ſuppurationibus ſinuum maxillarium diſtinguendae hae ab iis ſunt, quae ex ſuppurato oſſe maxillari ipſo, aut ex ſuppuratis alueolis oriuntur. Suppurationum in ſinu maxillari ſigna ſunt dolor intenſus, permanens in ſinu maxillari, ita tamen, vt et aegri lateris narem, orbitae inferiorem partem et oſſeum palatum corripiat, facultas p. 150.

affecti lateris narem emungendi denegata, malusque ex hac nare odor proueniens. Subinde pars puris, oſſea lamina ſinus deſtructa, externa petit fiſtulasque producit, alia puris parte in ſinu reſidua. Depoſitionem purulentam Noſter vocat.

p. 188. Nec ſola dentium caries morborum ſinuum maxillarium cauſſa eſt. Saepius et hi ſinus a vi externa laeduntur. Ab his laeſionibus ſuppurationes ſinuum, aliique morbi producuntur. Cancer adeo in puero a tali laeſione obortus eſt, cuius hiſtoria, maxime notabilis, cum celeberrimorum chirurgorum Pariſinorum conſiliis fuſe deſcripta eſt.

Epulidis radices ſaepe in ſinu maxillari praeter naturam affecto ſitae ſunt, quod ex exemplis partim propriis, partim ex aliis auctoribus allatis probatur.

p. 249. De ſinuum maxillarium polypis, quos ſueta Chirurgis diuiſione in benignos et malignos Noſter diuidit. Plerumque talibus polypis praeſentibus paries ſinus maxillaris affecti naſalis deſtructa eſt. Exciſis cultro polypis, radices Noſter aut ferro candente, quod maxime amat, aut medicinis corroſiuis

p. 266. applicatis deſtruit. Fungi ſinuum maxillarium vt plurimum a dentibus carioſis producuntur. Eos ligatura apprime ſanat; radices autem aut ferro, aut eſcharoticis medicinis deſtruendae ſunt. Omnia vero eo redeunt, vt dentes carioſi tollantur. Notabilis obſeruatio inſerta eſt fungi ſinus dextri maxillaris maligni, cum nare obſtructa, palato, nare et oculo dislocatis, ſcirrhoſo tumore in palpebra inferiore et lacrymali fiſtula. Chirurgorum ſimul celeberrimorum Pariſinorum conſilia ad hunc morbum omni modo deſperatum debellandum addita ſunt. Inſerta ſunt et alia conſilia ad hunc morbum profligandum. Omnia eo redeunt, fungum maxillarium ſinuum debellari non poſſe, vbi malignus euaſerit

euaſerit aliasque partes in mali conſenſum traxerit. Palliatiua hoc in caſu cura laudatur.

Cancrum a carcinomate multum diſtinguit Noſter: cancrum durum tumorem dicit, et non exulceratum, carcinoma vero tumorem mollem, fungoſum.

De ſinuum maxillarium exoſtoſi. Narratur hic ſingularis admodum hiſtoria exoſtoſeos, quae ſinus maxillares primum inuaſerat, poſthac vero et alias capitis oſſei partes corripuerat. Cadauere inciſo, caluaria cum facie V. librarum, maxilla inferior III. librarum III. vnciarum, totumque caput VIII. librarum et IV. vnciarum pondus habuit, quum naturale capitis oſſei pondus duas libras nunquam excedat. Hoc caput admodum difforme tabula aenea ex adiectis exhibet. p. 334.

De morbis partium ſinubus maxillaribus vicinarum nouo capite agitur. Pertractantur lacrymales fiſtulae, dentium quidam morbi, oculorum cancer, qui et os occupabat, cariesque oſſis maxillaris ſuperioris. Scirrhoſos tumores maxillae ſuperioris tumores cyſticos Noſter vocat, frequenti ipſi, ex pathologiae ignorantia quadam, errore. Fiſtularum oſſis maxillaris ſuperioris plures caſus et in his ſatis notabiles proferuntur. p. 380.

Vberrime pertractatis oſſis maxillaris ſuperioris morbis, tranſitus ad palati morbos eſt. Primum in varia morbifica miaſmata inquiritur, in iisque et lacti in corpore oberranti locus tribuitur. De cognoſcendis probe his miaſmatibus. Eorum ſigna copioſe exponuntur, ſed verboſo nimis ſermone. Maxime demum neceſſarium eſſe probatur, vt haec morbifica venena exacte definiantur, ſummumque periculum imminere, ſi hoc ab incautis omittatur. Tandem effectus venenorum morbidorum in oſſa recenſentur. p. 393.

Quibus

p. 426. Quibus omnibus praemiſſis, caries palati pertractatur. Niger ſaniei color foetorque cariei palati ſignum certum non eſt, certiſſimum autem ſignum cariei ex ſpecilli vſu deſumitur. In ſananda carie tres illius gradus ſtatuuntur. In primo gradu maxime externa tantum oſſis lamina affecta eſt, in altero ös varium et a naturali alienum colorem acquirit, in tertio vero color et oſſis interna ſtructura ſimul mutata eſt. Calloſitates palati, ſi poſſibile eſt, cultro reſcindi debent, fungi vero ligatura debellari. Pertractatis tandem medicinis externis generatim, quae in palati morbis maxime conueniunt, obſeruationes caſusque cariei aliorumque palati
p. 526. morborum deſcribuntur. Leporinum labium Noſter a ſitu foetus in vtero durantibus primis grauiditatis menſibus deriuat, a preſſione nempe genuum et pugnorum foetus in labia potiſſimum et ob vteri actionem agente. Eodem modo et haec leporina labia generantur, in quibus palatum fiſſum eſt, quum enim in dimidii circuli duo puncta lateralia preſſio agat, neceſſe eſt, vt media pars diſcedat, hocque modo palatum ſcindatur.

p. 537. His omnibus praemiſſis morbi palati mobilis, vuulae et faucium pertractantur. De faucium vlceribus, abſceſſibus, ſcirrhis, cancro, carcinomate,
p. 576. de vuulae morbis, fungis, ſcirrhis, caet. agitur. Finis operi imponitur obſeruationibus variis ex auctoribus collectis, in quibus morbi varii exponuntur aut a dentium carie, aut ab aliis cauſſis, ad maxillam aut ſuperiorem aut inferiorem referendis oriundi. — Aeneae tabulae inſtrumenta varia in oris chirurgicis morbis vtilia, exoſtoſin capitis illam, de qua ſupra loquuti ſumus, nec non faciei dehoneſtationem a ſinus maxillaris cancro exhibent.

Altero huius libri volumine morbi maxillae inferioris pertractantur. Idea primum horum morborum generalis exhibetur, cum maxillae ſuperioris morbis comparata. In morbis de abſceſſibus maxillae inferioris primum agitur, multique caſus talium abſceſſuum cum oſſis carie coniunctorum, et a variis cauſſis inductorum reponuntur. Ab his ad vlcera tranſit Noſter in omni maxillae inferioris ambitu ſita, in mento, buccis, ſaliualis ductus regione, caet. Et fiſtularum in maxillae inferioris regione plurima exempla proferuntur.

Exempla ſequuntur tumorum inflammatorio- p. 81.
rum, indolentium, atheromatis, parotidum, tumorum fungoſorum, cancroſorum et carcinomatoſorum maxillae inferioris.

Ad cariem vſus aquae mercurialis pharmacopoeae Pariſinae prae omnibus aliis medicinis laudatur, plurimisque caſibus fuſe narratis, iisque ſubinde ſatis difficilibus probatur, eam ſanandis talibus morbis paene omnibus ſufficere. Necroſis maxillae inferioris ſummus Noſtro cariei gradus eſt. Eam in ſimplicem, quae partem tantum maxillae occupat, et completam, in qua maxilla tota affecta eſt, diuidit. Talis necroſeos caſus quidam auctoribus proferuntur, perfectam, morbum omni modo rarum, Cl. vir non vidit.

Exoſtoſeos oſſisque maxillae tumorum, vulnerum et fracturarum maxillae inferioris ratio admodum fuſa ex copioſiſſimis auctoribus redditur, interiectis tamen et pluribus propriis auctoris obſervationibus.

De labiorum morbis, cheilocace, oris cancrop. 158.
Anglorum, caet. labiorum vlceribus, cancro, tuberculis, tumoribus ſanguineis nigris, globulis in labiis mobilibus, nodis, ſcirrhis, excreſcentiis, carbunculo, intumeſcentiis aliis, hydatidibus exemplis pluribus,

pluribus, nimis copioſis ex auctoribus tam antiquis quam recentioribus, ſubinde et propriis prolatis, buccarum morbi externi, abſceſſus varii, metaſtatici, vlcera venerea, cancroſa, fiſtulae, tumores varii fungoſi, ſquamiformes, ſcrofuloſi, cancroſi, ſcirrhoſi a carbunculis oriundi, caet. exponuntur. In his omnibus autem parum proprii Auctor habet, omnibus ab aliis, quos diligenter citat, bonis malisque depromtis.

p. 267. Plura propria vero caput VII. continet, quo morbi ductuum ſaliualium exponuntur. Ferrum candens ad eos valde laudatur, nec non mercurialis aqua, cuius vſui noſter in omnibus externis morbis valde fauet. Fiſtulae ductuum ſaliualium quam difficilem ſanationem admittant, omnibus notum eſt. Methodus Noſtri ea eſt, vt ferro vel corroſiua medicina calloſos fiſtulae margines tollat, eique poſtea fortiter glutinans emplaſtrum ex pice, coralliis in puluerem tenuiſſimum redactis et terebinthina imponat. Tali emplaſtro, quod partibus arctiſſime adhaeret, Noſter plures ductuum ſaliualium fiſtulas ſanauit, ita, vt deciduo emplaſtro caro in fiſtuloſo loco firma regenerata eſſet.

p. 282. Parum proprii et caput de gingiuarum morbis continet. Morbis pluribus gingiuae ob ſingularem ſuam partim glanduloſam, partim carnoſam ſtructuram obnoxiae ſunt. Parulidis, abſceſſuum variorum in gingiuis, fiſtularum, caet. exempla plurima proferuntur.

Subinde et in dentium cauitate magna abſceſſus generatur, dolores viuos lancinantes in dente extus ſano producens. Poſtea in gingiuis paruum tuberculum naſcitur, quod ſanguinolentam et puriformem materiam emittit. Talia tubercula ſaepius naſcuntur, poſteaque fiſtuloſa fiunt. Vis nimia dentibus illata ſaepius tales abſceſſus producit.

Epulidis,

Epulidis, ſarcomatis, ſcleroſarcomatis, fungorum, ſcirrhi, cancri gingiuarum Noſter, vt ſolet, exempla plura adfert.

Ab his ad eroſionem gingiuarum, gangraenam ſcorbuticam, et ſuppurationem alueolorum et gingiuarum ſimul aegros corripientem tranſit. Hunc morbum *Fauchardus* primum deſcripſit. De gingiuarum haemorrhagiis varia addita ſunt. p. 376.

Linguae vulnera varia, deformitates, depreſſiones, tumores, abſceſſus, melicerides, ſcirrhoſi et carnei tumores, vlcera varia maligna, carcinomata, fungi, vlcera, caet. recenſentur. De aphthis prolixe, maxime ex *Ketelaerii* libro agitur, hoc vero de aphthis caput in verſione omiſſum eſt, quod valde probamus.

Ranula tumorem ſublingualem partim carneum, partim et ſanguineum conſtituit. p. 554.

De linguae frenuli ſectione, de optimo eam peragendi modo, caſibusque, vbi haec ſectio vitanda eſt, de excreſcentiis, ſcirrhis et fiſtulis frenuli linguae, calculis et vermibus ſub lingua inuentis, haemorrhagiis a dentium extractione productis et dentibus adhuc integris, de difficili dentitione infantum et adultorum prolixe agitur.

Libri prima pars multa bona, vtilia, nec prius dicta de morbis ſinuum maxillarium continet, facilioremque vſu magis probatam et efficaciorem medendi methodum commendat. Sed encheireſes ſuas omnes auctor non deſcripſit, vt a chirurgis fieri ſolet, ſed traditis hiſtoriis morborum, quae fecerit, quae applicuerit, vberrime docuit. Putauit forte, fore, vt maior hoc modo ſcripti ſui vtilitas eſſet, ſi omnia ex exemplis doceret. Sed libri volumen tam copioſis hiſtoriis et mire auctum eſt. Aeneae tabulae operi adiectae inſtrumenta chirurgica exhibent, in oris morbis chirurgicis adhibenda.

Tertia

Tertia machina expreſſa eſt haemorrhagiis lingualibus et ſublingualibus ſanandis idonea. Verſio vere germanica eſt, vt a docto viro, non a *verſore mercenario* eam profectam eſſe putemus. Notas editor admodum paucas adiecit.

XXII.

CAROLI DE MERTENS, Medicinae Doctoris, obſeruationes medicae de febribus putridis, de peſte, nonnullisque aliis morbis. Vindobonae, apud Rudolph. Graeffer. 1778. 8. 220 pagg.

In Ruſſiam anno 1767 ad officium phyſici orphano trophii Moſcuenſis vocatus Cl. Auctor, ibi ſex annos commoratus eſt, praxin medicam in populoſiſſima hac vrbe ſimul exercens. Viennam redux obſeruationes ſuas in ordinem redegit. — Conſtitutio epidemica, in qua tribus ſucceſſiuis annis febris ſtationaria putrida diuerſis modis homines inuadebat, regnauit Moſcuae annis 1768. 1769. 1770.

Ruſſi anno 1769. aduerſus Turcas bellum iniverunt. Peſtis, quam Turcae in Vallachiam et Moldauiam intulerant, non ſolum inter illos graſſata eſt, ſed et has prouincias, exercitum Ruſſicum et Podoliam deuaſtauit. Cautelae quaedam circa fines imperii Ruſſici meridionales et occidentales adhibitae ſunt, ſed non ſufficientes nec ſatis ſtricte obſeruatae, vnde contagium initio anni 1770. Kioviam, et exeunte eodem anno Moſcuam vsque penetravit. — Antiquis terrore percuſſis peſtis propagandi modus penitus ignara fuit, hinc et de auerruncanda peſte non cogitarunt, donec SYDENHAMUS, fida ductus obſeruatione, veritati magis accederet.

Quum

Quum autem multa circa peſtilentiam praeiudicia adhuc valeant, peſtis Moſcuenſis hiſtoriam obſervationibus de febribus putridis adnexit, quo facilius peſtilentiarum differentiae intelligantur.

Prima operis parte *conſtitutio epidemica Moſcuae annis* 1768. 1769. *et* 1770. *obſeruata enarratur.* Primum caput *febris catarrhalis putridae anni* 1768 *hiſtoriam* complectitur. Hae febres exeunte anno 1767 graſſari coeperunt, numero aegrorum ineunte anno 1768 admodum auctо. Multos adfecit morbus ad aequinoctium vernale vſque, poſtea imminutus fuit aegrotantium numerus. Hyems frigidiſſima fuit inter 12 et 24 gradus infra o. Therm. Reaum. Incidebant homines in epidemicum morbum inprimis errore in rebus non naturalibus commiſſo. Morbi vere inflammatorii tunc rari fuere. Primum ſtadium febriculae ex ſordibus in primis viis cum languore ſymptomata habuit. In altero ſtadio putredo intenſior, pectus ſimul adfectum. In tertio ſtadio omnia ſigna ſolutionis putridae tragoediam inceperunt. Petechiae, mentis alienatio, tendinum ſubſultus, tremores articulorum conuulſiui, lingua nigra, deglutitio difficilis, aluus foetidiſſima, ſingultus, inuoluntariae aegris inſciis deiectiones, vibices, haemorrhagiae. Mors inter decimum quartum diem ſequuta vtplurimum. Hac die ſuperata ſpes maior, ſuperata vero vigeſima plurimi, licet grauiſſime aegrotantes, euaſerunt.

Sanguinis miſſio leuamen morbi in initio, paullo poſt vero ſummam debilitatem attulit, alteram et tertiam morbi periodum acceleravit. Venaeſectionem ſemper in putridis morbis vel ſporadicis, vel epidemicis, Cl. vir noxiam deprehendit, ſi et inflammatio adeſſet, quae ſubſequenti humorum ſolutioni mox cedit. — Curationem incepit Cl. vir

aluum leniter laxantibus medicinis, ſubinde et medicina vomitum ciente. Sic medicinae leniter euacuantes, bilem putredinemque corrigentes continuantur ad ſeptimum vſque diem, quo ſudore leni ſymptomata omnia vtplurimum mitigantur. Vrinae ſedimentum album, coctum, aegrum tunc omne periculum euaſiſſe indicat.

p. 18. Tertii ſtadii ſacra ancora cortex Peruuianus eſt, adhibendus pulſu molli, vrina non nimis cruda exiſtentibus. Moſchus valet pulſu paruo et tenſo, cute arida, vrinisque crudis. Mira ab eo praeſtita, praeſente ſtatu conuulſiuo vidit Cl. vir, adultis a granis ſex ad decem in pilulis dato. Cortex Peruuianus magnis et repetitis doſibus dandus eſt, ſi ſanationis ſpes in eo ponitur, nec coctio exſpectanda ad eius vſum eſt. Sufficit eum exhibere, dum nec plethora, nec durities in pulſu adſit, nec primae viae ſaburra admodum turgeant. In ſubſtantia datus maiorem efficaciam habet. Rheum illi fere ſemper ad aluum liberam ſeruandam addi debet; confert enim admodum aegris aluum omni nychthemero bis vel ſemel deponere. Si mutatio formae corticis neceſſaria eſt, decoctio eius praeſtat (Infuſionem frigidam praefert Ill. PERCIVAL.) Vſus corticis ad integram ſanitatem producitur.

Liberatis a ſaburra primis viis acida mineralia conueniunt. Vitrioli ſpiritus praeſtat omnibus aliis. — Aphthae peculiarem medendi methodum non requirunt. Vt oris vero ariditas caueatur, potu demulcente opus eſt. — Vitales vires veſicatoriis inſtaurantur. Vinum, cardiacorum princeps, putridis febribus admodum conuenit, nec non cereuiſia meracior. (In aëre fixo magnum ad putredinem arcendam praeſidium poni notum eſt. Facilis hinc concluſio eſt, omnium ſubſtantiarum vim ad putridas febres eo maiorem eſſe debere, quo plus fixi huius

huius aëris contineant. Hinc quaeſtio eſt, num cereuiſia recens, in ſummo ſuo fermentationis gradu hoc morbo detentis conueniat? Vires ſalutiferas, morbo accommodatas, haec cereuiſia certe habet; ſed ab aëre nimis copioſe euoluto meteoriſmum metuo.) Surditas meliorem prognoſin non reddit. (Dum haec ſcribo Februario menſe anni 1785, febris in noſtris regionibus graſſatur bilioſa putrida petechialis cum omnis putredinis conſummatiſſimae ſymptomatibus. Euaſerunt omnes aegri, qui durante morbi decurſu ſurdi, coeci, guſtus et tactus expertes facti ſunt. Rediere cum febre imminuta ſenſim ſenſus; hinc et ſubinde ex pernicioſiſſimo ſymptomate auſpicata prognoſis.)

Petechiae non ſemper calidi regiminis effectus ſunt, ſed putredinis ſoboles. (Copioſiores tamen, faciliores et pernicioſiores, calido regimine exiſtente. Videmus et nos in epidemia noſtra petechias, ſed longe rariores in his aegris, qui in aëre frigidiſſimo, loco ab hoc aëre maxime perflato decumbunt. Regula, verbo, in his morbis ſumma haec eſt: aër, quem aegri inhalant, frigidus, purus eſſe debet.) Petechiae ſymptomaticae ſemper ſunt, miliaria ſummae ante mortem anxietatis ſoboles. — Nocet ſerpentariae Virginianae radix vi ſua calefaciente; putredini corrigendae ſolus ſufficit cortex Peruuianus. (Conualeſcentibus alimenti et medicamenti loco vinum dilutius Franconicum aut Rhenanum praebere ſoleo; taedet enim aegros, quos dira corticis neceſſitas diu exercuit, corticis Peruviani.) De aëre corrigendo praeclare multa dicuntur. (Folia pinus conciſa pauimento copioſe inſperſa multa praeſtant, nec non acidi vapores. Epidemia annis 1771 et 1772 graſſante ſe ſuamque familiam integerrime praeſeruauit chirurgus quidam vaporibus acidis a fermentatione aceti acida natis.)

(In noſtra epidemia haemorrhagia narium copioſa infauſti ſemper ominis fuit, ſubinde tamen febrile delirium ſummum minuit. Menſtruo fluxu ſuperveniente vegeta ante morbum mulier mortua eſt.) Contagioſus morbus in vltima ſua periodo eſt, inprimis in noſocomiis.

Morbus ſtationarius annorum 1769 et 1770 febris putrida bilioſa fuit, ſolitis ſuis ſymptomatibus decurrens. Curatio eadem ac prioris morbi fuit. (In emeticis exhibendis, et in ſordibus, ad euacuationem praeparandis, *coquendis* peccauit, ſi in doctiſſimo et omni modo praeclaro libro peccatum quid eſſe dici poteſt, Cl. Auctor. Inſtituenda praeparatio eſt ad mentem Ill. TISSOTI (de febre bilioſa Lauſannenſi), tunc omnia probe ſuccedunt, nec facilis a prima ad alteram periodum tranſitus eſt.)

p. 56. Capite tertio *de febre putrida neruoſa* anni 1770 agitur. Principia ſymptomata fuere capitis dolor ab occipite ad orbitas, febricula, extremorum frigus, ſummus languor, moroſitas, metus, poſtea frigus intenſius, capitis dolor ſummus, debilitas animi deliquio accedens, tremor, delirium, loquelae impotentia, petechiae morbillos referentes, criticus vtplurimum ſudor, ſymptomata irritationis, debilitatis et atoniae ſummae. Ex vomitu radice ipecacuanhae citato leuamen ſummum (nos, materie ad excretionem cocta tartarum vomitorium praecepiſſemus). Citius cortice Peruuiano opus fuit. Vires vinum inſtaurauit.

p. 67. Altera operis parte *de peſte* agitur. Capite primo hiſtoria peſtis Moſcuenſis anni 1771 exhibetur, eaque pars operis ſummum ornamentum eſt. Peſtis a Turcis in Valachiam et Moldauiam illata in vrbe Yaſſi plures Ruſſos necauit. Febrem, vt vulgariter fieri ſolet, medici malignam appellauerunt.

Aeſtate

Aeſtate ſubſequente morbus in Podolia magnam ſtragem edidit, inde Kiouiam delatus. Fine Novembris 1770 profector in noſocomio militari Moſcuenſi febre putrida petechiali correptus tertio die mortuus eſt. Correpti aegrorum cuſtodes eadem febre cum bubonibus, carbunculis, mortuique. Medicis die Decembris 23 in concilium vocatis, in noſocomio a Nouembris fine 15 aegros hoc morbo exſtinctos eſſe, quinque adhuc aegrotare, noſocomium praeterea penitus a morbo liberum eſſe relatum eſt. Morbus vnanimi paene conſenſu pro peſte declaratus eſt. Incolae vrbis terrore morbi ſummo primum perculſi, poſtea vero, quum in noſocomio, ſeptem exceptis, nemo aegrotaret, ſumme ſecuri fuerunt. Neglectae omnes cautelae. Februario exeunte noſocomium militibus circumdatum, praecluſo omni cum eo commercio, apertum iterum eſt.

In ampliſſima domo, qua panni ad veſtimenta militaria conficiuntur, die XI Martii octo aegri eodem morbo detenti occubuerunt. Declararunt medici, peſtem morbum eſſe, litteris ad gubernatorem datis. Diſſenſerunt duo medici et chirurgorum maxima pars. Ianuae infectae domus quidem clauſae ſunt, ſed ex cuſtodum incuria multi per feneſtras aufugerunt. Reliqui noctu extra vrbem ducti ſunt, ſanis ab aegris ſeparatis. Aliqui operarii in priuatis aedibus peſte demortui ſunt. Nunc de praefocando contagio efficaci modo cogitatum eſt, balnea publica clauſa, medici conſtituti, ſepultura cadauerum in vrbe prohibita, noſocomia inſtituta, omne ſupellectile peſte infectum combuſtum, aedes peſte infectae clauſae ſunt, hominibus in noſocomia delatis. Sed pauci de vera peſte cogitarunt. Ad Aprilem vſque, hyberno frigore perdurante,

morbus ſubdole ſaeuiit. Tres vel quatuor de die in noſocomio mortui ſunt.

p. 82. Medicorum de peſte praeſente effatum pro fabuloſo haberi coepit, et in noſocomio adeo, Iunio menſe, pauci aegrotauerunt, dum cuilibet permiſſum eſſet ſuas petere domos. Sic ſpes de peſte exſtincta nata, ſed vana proh dolor: ſequentibus enim Iulii diebus plures de plebe in vrbis variis regionibus aegrotarunt, funeraque admodum aucta ſunt, vt ducenta, exeunte Iulio, quotidie numerarentur. In aegris petechiae, vibices, bubones, carbunculi, parci. Mors in nonnullis ſubitanea plerosque tertio aut quarto die necauit. Medio Auguſto quadringenti aegri quotidie mortui ſunt, ad finem menſis numerus quotidie ad ſexcentos adſcendit, primis Septembris diebus ad ſeptingentos, dein octingentos, et paulo poſt ad mille peruenit.

Tumultu exorto, quo furibunda plebs noſocomia violenter aperuit, mortuos in vrbe ſepeliuit, morbus latius ſparſus eſt. Copioſum tunc inter aegros ſanosque interceſſit commercium. Publica tranquillitate reſtituta, auctoque tot aegrorum ſanorumque hominum concurſu, contagio mille et ducenti vltraque ſingulis diebus mortui ſunt. Reſtitutis tumultus tempore ceremoniis eccleſiaſticis, cum quibus mortui ſepeliri ſolent, a plebe, fere omnes ſacerdotes et eccleſiarum miniſtri peſte perierunt.

Plebs ad obſequium redacta et publica calamitate placidior facta medicorum auxilium implorare coepit. Repletis noſocomiis et monaſteriis omnibus aegrotis peſte infectis, ipſa vrbs ampliſſimum noſocomium dici potuit.

p. 89. Die 10 Octobris primum gelu obſeruatum, et tunc mitior morbus et quoad decurſum, qui magis perduràuit, et quoad aegrorum numerum factus eſt.

eſt. Bubones in omnibus aegris, petechiae parcae. Multi cum bubonibus ambularunt, nec ex his, qui mortuorum, aut aegrorum curam geſſerunt, multi mortui ſunt. Finis anni 1771 dirae cladi finem impoſuit. Februario menſe, tempeſtate gelidiſſima praeſente, vltra quadringenta cadauera detecta ſunt, quae praeterlapſo anno ſub ipſis aedibus ſepulta fuerant. Eorum nullus aegrotauit, qui haec e terra effoderunt, et ad ſepulcra publica deduxerunt.

Numerus peſte mortuorum Moſcuae ſeptuaginta millia ſuperauit, vnico menſe Septembri viginti duo millia mortui ſunt. His iis additis, qui in vicinis locis peſte mortui ſunt, haec peſtis circa centum millia hominum ſuſtulit. Veſpillonum plura millia mortui ſunt, plerique ex incuria. Vltra hebdomadem raro ſani permanſerunt. Plerique quarto vel quinto die aegrotare coeperunt.

In ſola plebe peſtis ſaeuiit; nobiles, ditiores mercatores ab ea liberi permanſerunt. Atmoſphaera contagium non ſparſit, ſed ſaniſſima fuit. Medici aegrorum curam gerentes ſani permanſerunt, hac tantum cautela adhibita, vt aegros non tangerent. Tres ſolummodo nobiles peſtis affecit, pauciſſimos praeſtantiores ciues, trecentos extraneos inferioris conditionis: reliqui omnes ex infima gente Ruſſica fuerunt.

Orphanotrophium, quod 1400 homines continet, a peſte integerrime praeſeruauit Cl. Auctor. Quatuor operarii, qui ſepes nocturno tempore transſcenderant, variis temporibus ibi peſte correpti ſunt, his vero a reliqua domo ſecluſis, malum latius non ſerpſit. Inuaſit peſtis facillime iuuenes, robuſtos homines. Infantes quatuor annis minores mitius laborarunt. Febrem omnes peſte infecti habuerunt. Phrenitici pauci. Plurimi debiles iacue-

runt, de praecordiorum anxietate et cephalalgia tantum conqueſti.

p. 97. Vnde et quomodo in noſocomium militare devenerit peſtis, diu inquiſiuit medicus. Tandem innotuit, duos milites, qui Nouembri menſe anno 1770 ibidem mortui erant, ex vrbe Choczim peſtem attuliſſe. Horum cadauera incidit anatomiae proſector, et contagium ſuſcepit. Sic in aegrorum et mortuorum curam gerentes peſtis propagata eſt.

p. 98. Altero capite *diagnoſis peſtis* pertractatur. Vt abſolute peſtis denotetur, opus eſt, vt morbus ſit acutiſſimus, petechiis, bubonibus, anthracibus plerumque ſtipatus, febrem comitem habens. Omnes fere ante ſextam diem moriuntur. Qui ſeptimam ſuperant, euadunt. Veram criſin peſtis bubones conſtituunt; ſi vero nec dolent, nec ſuppurant, mors in propinquo eſt. Parotides criſin non adeo completam efficiunt. Carbunculi ſi eleuantur, et mortuae partis ſeparatione decedunt, boni ſunt. Petechiae periculoſae, vibices peſſimi ſunt.

p. 107. Pulſum medici non explorarunt, ob infectionis metum. Chirurgi eum explorantes admodum diverſum eſſe dixerunt. — Prognoſis certa formari non poteſt. Laeta ex bubonum proba ſuppuratione prognoſis. Febres putridae a peſte in eo differunt, quod decurſum magis lentum habeant. — Peſtilentiale miaſma per aegrorum contactum, vel fomitem, aut aërem occluſum, vel effluuiis contagioſis refertum, minime per liberam atmoſphaeram propagatur. Vnicum, quod in peſtis contagio atmoſphaerae adſcribi poteſt, id eſt, quod ad contagium homines plus minusue diſponat. Liber aër nunquam contagioſus fit, niſi in viciniis locorum, vbi plurima cadauera peſte demortuorum inſepulta putreſcunt. Frigus hiemale miaſma obtundit et

conge-

congelat, acuit vero aeſtiuus calor et volatilius reddit. Sana tamen atmoſphaera aeſtiuo et hyemali tempore perſtitit.

Comparari peſtis maxime cum variolis poteſt. p. 120.
Vidit aliquos Noſter, quos peſtis nunquam inuaſit, licet contagio diu expoſiti manſerint. Vidit adeo mulierem inter cadauera peſte exſtincta ſanam viventem. Alia ſana permanſit cum marito in eodem cubiculo decumbens. Sed rara talia exempla ſunt. — Inſitio peſtis non conuenit, quum experientia comprobatum ſit, hanc homines non ſolum in variis vitae periodis, ſed et in eadem epidemia bis, aut ſaepius occupare poſſe. — Falſa eſt opinio, aues e locis aufugere peſte infectis, nec male aues caveis incluſae in infectis aedibus ſe habuerunt.

Curationem peſtis caput tertium complectitur. p. 125.
Specificam aduerſus peſtis contagium medicinam non habemus; dum viget contagium, medicinis vel datis, vel non datis, plurimi moriuntur, dum mitius factum eſt, plures ſponte ſanantur. Hinc origines medicinarum tam pompoſe ad peſtem decantatarum deriuandae ſunt.

Quam diu nullum medicamentum ſpecificum notum erit, vnicum remanebit, vt inquiratur in naturam morbi, quem miaſma creat, effectusque inde oriundi obſeruentur, conatus naturae et viae, per quas ſe malo liberare ſolet natura, tandemque ſymptomata, quae bonum et malum effectum praenunciant. Hinc adhibenda ſunt, quae experientia prodeſſe docuit, natura in conatibus ſuis iuuanda, obſtacula remouenda.

Inflammatorio modo peſtis raro, et in primo ſuo ſaltem inſultu incedit, putridiſſimus ſemper morbus. Symptomata omnia in duas claſſes diuidi poſſunt, neruoſa, a neruis adfectis et putrida, a putrida corruptione oriunda.

Primum neruoſus ſtatus incedit, antè putridam corruptionem. In hoc miaſma admodum ſubtile, et nulla coctione egens per ſudores nonnunquam eliminatur. In ſudoribus natura diaphoreticis iuvanda eſt. Venae ſectioni locus tunc eſt, quando primae neruorum turbae in ſumme plethoricis graviſſima ſymptomata inflammatoria excitant. Breuis vero admodum ſtatus neruoſus eſt, in putridum facillime transiens. In putrido ſtatu Peruuianus cortex et mineralia acida maxime conueniunt, pauci tamen, quibus hae medicinae datae ſunt, euaſerunt. — Obſeruationum verarum, exactarum in peſte inſtituendarum difficultas ſumma eſt. Plerumque medici nimis tarde ad aegros, morbum, quantum poſſunt, celantes, vocantur; plebs omnia vera medicamenta reiicit, domeſtica amat, ſtultisque pluribus fidem adhibet, dum praecipue videt, aeque multos auxiliis medicis vtentes perire. Contagioſus noſocomiorum aër, aegrorum triſtitia, metus, cuſtodum crudelitas, attentio minima, medela eadem in omnibus, ſanitatis delubra in lethiferas cloacas mutat, adeo, vt mirum Noſtro videatur, *quod vnus ex centum ibi mortem euadere poſſit.* Accuratae itaque ex noſocomiis peſtilentialibus obſeruationes nunquam exſpectandae, nec a medicis maxime induſtriis. — Ciuilis adminiſtratio et publicae ſanitatis cura prius ſic inſtituenda eſt, vt ciuium ſaluti absque tanto infectorum detrimento conſulatur, antequam in arte medica auxilium quaerere poſſumus.

p. 132. In principio quum omnes aegri in noſocomia raperentur, medicinas nullas experiri Noſter potuit, vniuerſali vero magis contagio facto, emetico dato corticem Peruuianum cum acidis mineralibus exhibuit: ſed contagium tantum malignitatis gradum habuit, vt omnes fere morerentur, priusquam medicamenta

dicamenta putredini aduerſa ipſis propinari potuiſſent. Aegrorum *veram* curam gerendi occaſio rariſſime medicis data fuit, perſuaſum tamen Noſtro eſt, plurimos debitis adminiculis ex mortis faucibus eripi potuiſſe.

Dictis medicinis (ipecacuanhae loco tartarum ſtibiatum dediſſemus) morbus in mitiori gradu ſanatus eſt, in atrociori non; ſed et in hoc omnia remedia peſti aduerſa nil praeſtiterunt. Vnde concludere licet, peſtem atrocem factam omnium medicamentorum efficaciam eludere. Noxia fuere omnia purgantia, alui fluxum perniciosiſſimum inducentia. Venaeſectio in peſte valde nociua. Phrenitis cum neruoſo ſtatu in peſte Moſcouienſi rara fuit, nec venaeſectionem tulit. Miaſmatis ad glandulas depoſitio omni modo acceleranda, promovenda eſt. Aegrorum ſalus a ſuppuratione pendet. — Carbunculus, gangraenae effectus nunquam criticus eſt, anthrax carbunculo peior. Carbunculorum ſcarificatio in peſte Moſcouienſi parum ad mortem retardandam contulit; eſcharae ſeparatio naturae opus eſt. Pernicioſae admodum petechiae ſunt; quo magis ad nigrum colorem accedunt, eo peiores. — Ante diem quartum de futura ſalute nihil pronunciari poteſt, hac ſuperata, vitae aliqua ſpes eſt. — Ad petechias, quae putredinem corrigunt, omnia conueniunt. Ob frequentes in peſte lipothymias, curam gerere debet magiſtratus, ne tali modo adfecti pro mortuis habeantur. — Diaeta eadem neceſſaria eſt, quae in putridis febribus. — Vermes in peſte adfectis ſaepe decedunt, non ob morbum tamen, ſed ob habitationem ipſis ingratam. Grauidae peſte adfectae fere omnes abortum patiuntur, et vteri haemorrhagia pereunt.

Prophylaxis quarto capite pertractatur. Cautelae primum enarrantur in bello cum Turcis obſervandae. p. 146.

vandae. Hoſtibus ſuis Mahomedani plus ſaepe peſte nocuerunt, quam armis. In tali bello exercitum a peſte liberum prorſus ſeruare difficillimum eſt, ob captiuos, ſpolia peſte infecta. Inhibetur autem penitus peſtis contagium omnibus ea adfectis in noſocomia delatis. Bendera vrbs, in qua peſtis obſidione durante ſaeuiit, capta peſtis nullum veſtigium praebuit. Cauſam in bellicorum tormentorum exploſione et pulueris pyrii accenſione Cl. vir quaerit. Eius vis ab acido explicatur. Puluis antipeſtilentialis Moſcouienſis nitrum et ſulphur pro baſi habuit. — Loca diligenter cuſtodibus inſtruenda, ne quis tranſeat. Domus in viis publicis inſtruendae, in quibus manere omnes ab exercitu redeuntes debent, donec peſtis ſuſpicio cadat. Summa mercium, veſtimentorum, litterarum, caet. cura gerenda.

p. 151. In peſtis initiis medici vtplurimum omnium contumelias, mercatorum inprimis ferre debent, ſi liberum, iis ſuadentibus, commercium praecluditur. Eadem et Moſcouienſibus medicis Februario menſe acciderunt, dum praefocata peſtis videretur.

Optime hominibus conſulitur, ſi, in magnis praeſertim vrbibus, peſtis primordia clam praefocantur. Certum quidem in primis diebus de peſte iudicium fieri nequit; ſi vero reliqui in eodem cum aegris cubiculo habitantes eodem morbo, peſtis characteres habente, corripiuntur, iudicium de peſte certum eſt.

Re ad magiſtratum a medico delata, is, nullo ad contrarias ſententias reſpectu habito, ſalutis publicae curam gerere debet. Infectae domus cuſtodibus circumdandae, infectae familiae noctu, ne ſuſpicio morbi in aliis naſcatur, in alia loca transferendae. — Si plures domus infectae ſunt, mali natura celari amplius non poteſt. Aegri ab omni commu-

communicatione cum ſanis arcendi, eorum ſupellex cremenda, res vero duriores, quas ſeruare expedit, aceto lauandae. Flammis dandae res manibus non tractandae ſunt. — Vrbs in regiones dividenda et cuilibet medicus conſtituendus.

Sparſi contagii cauſa plebis egeſtas, aliorum p. 156.
auarities vbique fuit. Haereditate ſua priuari pauper aegre fert. Summa cautelae eſt, vt ex aere publico pecuniae ſumma conſtituatur, qua omnia, quae comburuntur, ſtatim ſoluantur; miſerum enim eſt in tam deſperato ſtatu et rebus ſuis omnibus priuari. Aegri ſuſpectique publicis ſumtibus alendi. Exſtincta peſte omnes ſanati ſuſpectique tam diu a commercio cum aliis arcendi ſunt, dum nulla amplius peſtis ſuſpicio in iis ſit. De omni contagio reſiduo diligenter inquirendum.

Multo difficilior res eſt, *dum graſſatur peſtis.* Primum eſt, ne in vicina loca transferatur, praecavere. Morbus vbi iam pluribus communis eſt, aegri in noſocomia deferri non amplius poſſunt. Hinc noſocomium ampliſſimum, vel integrum ſubvrbium, pauperibus peſte adfectis deſtinandum. Reliquis domi iacere liceat, dummodo commune quoddam ſignum aedibus infectis affixum ſit, quo facile dignoſcatur, vt ſani illas non intrent. Cadauera mox, in remoto loco, ſepelienda. — Ventilatio ſubſtantiarum peſte infectarum ſemper ſuſpecta eſt, hinc eas flammis tradere magis expedit. Noſocomiorum aër pulùere pyrio, aceto corrigendus. Omnes, quorum officium eſt, aegris adſtare, ſuper veſtes pallium induant ex tela piceata factum ſimilesque chirothecas. Linteo aceto imbuto nares, os muniant. Aedes infectae fumo pulueris antipeſtilentialis purgandae. Fumus de rebus peſte infectis accenſis adſcendens diligenter vitandus eſt.

Acetum

Acetum ſeminium peſtilens efficaci modo deſtruit, ſed molliores poroſae ſubſtantiae, ſi et aceto ſuffimigentur, venenum tamen ſeruant. Notum tamen et Cl. viro eſt, pelles infectas antipeſtilentialis pulueris fumo peſtiferam vim penitus perdidiſſe, ſed hoc mitiore iam morbo facto accidit.

Timor et terror tempore peſtis illam minime inducit, nec audax animus eam auertit. Innumeri morbi a terrore, moerore, peſte graſſante, oborti ſunt, et tamen in his peſtis non viſa eſt. Vnicum hoc animi adfectibus tribuit Cl. Auctor, quod infecti inde grauius adficiantur, aegri peius ſe habeant, et difficilius in ſanitatem reſtituantur.

p. 178. Ignis et fumus ex igne copioſiſſimus contagium lentius non fecit, nec pepercit peſtis aedibus pluribus ignibus circumdatis. Fonticuli ad peſtem arcendam parum valent. Ipſe Cl. Auctor fonticulum gerens immunis manſit, ſed et alias praeſeruationis regulas non neglexit. In noſocomiis chirurgi quatuor cum fonticulis mortui ſunt. Gonorrhoea et venerea lue laborantes plures peſte adfecti ſunt. — Tabaci fumus ad praeſeruationem parum, aut nihil valuit. Graſſante peſte, ſporadici morbi plures, et morbilli epidemici obſeruati ſunt.

p. 187. Peſtis miaſma in hominibus diu non latet, in mercibus vero mollibus, ſpongioſis, lana, caet. diu. Videtur peſtilenti miaſmati eadem vis ineſſe, quam varioloſo. Hinc rerum harum omnium cura admodum diligenter gerenda.

p. 190. Orphanotrophium, cui doctiſſimus Auctor praefuit, ſequenti modo praeſeruauit: Situm eſt orphanotrophium in medio vrbis, ad confluentem Yauſae et Moſcuae. Locum occupat, cuius circuitus tertiam partem miliarii germanici aequat; hic munitus erat ſepe ſex pedes alta. Immenſum lapideum aedificium orphani, cuſtodes aedes adiacen-

tes

tes ligneas incolunt. Tres portas orphanotrophium habuit. Dum peſtis rumor inualuit, portae omnes, vna excepta, clauſae ſunt, apertae ianitor adſtitit. Nemini ſine permiſſione introitus aut exitus permiſſus. Res ad vitam neceſſariae e ſanis locis magna copia congeſtae. Auguſto menſe nemini, medico excepto, intrare licitum fuit. Quae introducta ſunt, diligenter aceto, fumo, purgata. Colloquium cum extraneis ad certam diſtantiam habere incolis aedium praecluſarum licuit. Omnes ſuſpecti aegri ſtatim ab aliis ſeparati ſunt. Septies doctiſſ. Auctori accidit peſte adfectos reperire, ſed omnis morbi communicatio penitus intercepta eſt. In orphanotrophium nemo receptus, ſed villa ſuburbana eum in finem conducta. Allati ſeparato loco detenti, aceto loti, demum in orphanotrophium transmiſſi ſunt.

Tertia pars *varia* complectitur. Primum caput exemplum hydrophobiae continet, quam mercurii externus vſus vnguenti forma adhibitus auertit. Alterum caput caſus continet, quibus vſus veſicatoriorum ad validiſſimas haemoptyſes confirmatur. Tertio capite iliacae paſſionis in grauida hiſtoria enarratur. Ex tabaci fumo clyſter, debitis medicinis praemiſſis, morbum leuauit. — Quarto capite hiſtoria capitis contuſionis exponitur cum ſymptomatibus fiſſurae cranii et extrauaſati humoris ſuper cerebrum, infuſo foliorum arnicae ſanatae.

Inter principes de peſte ſcriptores Cl. Auctor referri iure meretur; hinc ignoſcent beneuoli commentariorum noſtrorum lectores, quod ſeriori paululum opera libri doctiſſimi cenſuram exhibuerimus.

XXIII.

XXIII.

D. AUGUST GOTTLIEB RICHTERS, *Sr. Königl. Majeſtät von Grosbritannien Hofraths und Leibarzts, der Arzneywiſſenſchaft und Wundarzneykunſt ordentlichen öffentlichen Lehrers zu Göttingen, Directors des akademiſchen Hoſpitals, des Collegiums der Wundaerzte daſelbſt Praeſes, des Fürſtenthums Göttingen Phyſicus, Mitglieds der Königl. Göttingiſchen und Königl. Schwediſchen Akademien der Wiſſenſchaften, wie auch der Königl. mediciniſchen Societät zu Kopenhagen, Chirurgiſche Bibliothek. Erſter Band.* 1771. *S.* 740. *Zweyter Band.* 1772. *S.* 648. *Dritter Band.* 1775. *S.* 707. *Vierter Band.* 1777. *S.* 776. *Fünfter Band.* 1779. *S.* 756. *Sechſter Band.* 1782. *S.* 748. *Siebenter Band.* 1784. *S.* 793. 8. *mit Kupfern.*

i. e.

D. RICHTERI Bibliotheca chirurgica T. I.-VII. cum tabulis aeneis.

Non indiget praeſtantiſſimus hic ſcriptorum in arte chirurgica recentiſſimorum theſaurus repetita noſtra commendatione et laude, qui iam vltra decennium ab omnibus chirurgiae magiſtris laudatus et commendatus omnibus eſt. Continet et offert enim haecce RICHTERI bibliotheca chirurgica non ſolum de libris nouis relationes accuratiſſimas et vtiliſſimas, verum quoque adiecit celeberrimus eiusdem editor multorum ferramentorum et diuerſarum faſciarum icones, et quod adhuc magis praeſtantiam huius libri adauget, adiecit etiam nuperioribus inprimis voluminibus multas obſerua-

obſeruationes et ſuas ſuper dogmatibus propoſitis ſententias; ſicuti et aliorum medicorum et chirurgorum de caſibus chirurgicis inprimis narrationes et commentationes in aduerſariis cuiuslibet partis extremis paginis adiunxit.

Quum bene intelligamus, enumerationem librorum hac in bibliotheca commemoratorum lectoribus noſtris nullam frugem promittere neque ullius eſſe vtilitatis, ipſam omittimus, dicturi modo de aduerſariis, quae ſingulis tomis adiecta ſunt.

Tale aduerſarium offendimus in Tomo quarto de inſtrumento clysmatico pro recipiendo tabaci fumo, quod inuentorem agnoſcit *Lammersdorfium* chirurgum Hannoueranum, quod etiam icone illuſtratum inuenies. T. IV. p. 379.

Porro Dn. HALLE refert de aphonia et impedita deglutitione ex vulnere aduſto colli ſiniſtri, quod vsque ad oeſophagum penetrans varia incommoda et pectoris anxietates, dolores, ecchymoſes et brachii etiam paralyſin producebat. Anne ex laeſione neruorum, quorum eſt in collo magnus numerus et plus vna anaſtomoſis? Inſtituta poſt aegroti mortem ſectione, apparuit inſignis arteriae aſperae laeſio ſub cricoidea cartilagine, ſicuti et perforata erat vena iugularis interna dextra, quae magnam excitauerat haemorrhagiam, cuius ſanguis totam repleuerat aſperam arteriam; oeſophagus laeſus, at non perforatus, in conſpectum venit. p. 380.

Litterae Vindebonae datae agunt de vſu aſae foetidae in oſſium carie et de methodi Rowleyanae praeſtantia, qua vlceribus nitro medetur. p. 386.

De inſtituta ſectione ſymphyſeos oſſium pubis. Perficiebat ipſam Cel. SIEBOLD, chirurgiae Profeſſor celeberrimus Herbipolitanus, in foemina, quae in iuniori aetate rachitica iam ſepties, partu difficili p. 578.

cili excruciata erat. Oportebat ob oſſium pubis anchyloſin ſectio ferrae ope fieri, attamen ſine vel veſicae et vrethrae vel clitoridis laeſione. Inter ſymptomata concomitantia commemorat vrinae profluuium ex vulnere, quod quamuis non ex laeſione, durante ipſa enchireſi, productum, ex veſicae inflammatione potius natum erat.

p. 583. *Obſeruationes de fracturis, Auctore Cl.* EVERS. Contendit contra Cel. POTT, non ſemper ſitum membri fracti inflexum ſuadendum eſſe, ſicuti hanc ſuam aſſertionem confirmat variis obſeruationibus. Sic vbi fractura ſub inſertione muſculorum eſt extenſorum, incongruum eſt chirurgi Angli conſilium; veluti et in multis fracturis obliquis. Simili veritatis amore commotus HENKELIO gloriam inventae faſciae octodecim capitibus oblique poſitis, POTTIO etiam tributam, vindicat. Nec cum POTTIO conſentit, qui auctor eſt, chirurgum ad calli formationem nihil omnino poſſe conferre.

p. 587. *De noua curandi cancrum naſi ratione.* Scilicet lamina cornea cultri formam referente potius preſſione, quam ſectione, ſeparauit *Engelmeyerus* empiricus carcinoma narium, atque formatum vulnus lapide infernali vel diuino ſine eo, quod inflammatio oriretur, conſolidauit. Porro commendat *Kuhnius* chirurgus Brandenburgicus ſuccum herbae digitalis purpureae in ſcirrho mammarum.

p. 749. *Aduerſaria de anchyloſi*, auctore Cl. EVERS. De diuerſitate anchyloſium, earum natura et curatione monita ſatis omnibus cognita; quibus adiunguntur quidam caſus, quibus demonſtrat, et in articulationum tumoribus atque aliis anchyloſibus ſpuriis et in fungo articulari et gangliis gummi ammoniacum in aceto vini ad emplaſtri conſiſtentiam inſpiſſatum egregium offerre remedium.

Obſer-

Obſeruationes chirurgicae, auctore ASPER. Caſus duo: vnus de vaginae atreſia; alter de abſceſſubus hepatis refert. p. 763.

Obſeruationes de cancro occulto, auctore DENEKE. Quae vix commemoratu dignae nobis viſae ſunt; commendat enim nihil aliud, quam vſum ſalis ſedatiui ad ſedandos dolores. p. 768.

Tomus quintus ſequentia continet aduerſaria: T. V.

Dr. MICHAELIS *Epiſtola Londinenſis*. Vtilitatem vlcerum artificialium in paralyſi extremitatum inferiorum ex incuruata ſpina genita plus vna vice confirmatam ſe vidiſſe auctor eſt. Hac autem medela non ſolum paralyſis corrigitur, verum quoque et incontinentia vrinae, quae ipſam pediſſequam habet; praeterea etiam totus corporis habitus multum emendatur, excepto illo in caſu, vbi ex vertebrarum carie nullum omnino auxilium praeſtant. Nec ſemel huius morbi recidiuam obſeruauit. Adhibuit nuper quoque POTT vlcera artificialia in tumoribus albis Anglis *White Swellings* appellatis. In gangraena non ſolum phalangum pedis, verum quoque et aliarum partium, in curatione vlcerum cacoëthicorum et ſcrophuloſa acrimonia inquinatorum Angli opium vel ſolum, vel vna cum cortice Peruuiano, in vſum vocant. Simili ratione egregia praeſtant emetica in tumoribus articulationis genu, veluti variis caſubus demonſtrat. WARNER et PRINGLE commendant quoque emetica in teſticulorum inflammatione, tumore et ſcirrho. Puluere florum Cardamines ſexta quauis hora ad drachmam exhibito choreae St. Viti mederi vidit. Cl. CRUIKSHANK et neruos regenerari experimentis accurate inſtitutis obſeruauit. In lue venerea optimo cum ſucceſſu adhibent PRINGLE, G. BARKER et HEBERDEN mercurium calcinatum, ipſumque reliquis p. 111.

anteponunt praeparatis mercurialibus. Leguntur hic quoque aliquae de varicibus profundioribus ab ELSIO, POTTIO et aliis obſeruatis animaduerſiones. Magnus vſus eſt fumigationum volatilium in paralyſi, rheumatiſmo et membrorum rigiditate; porro ſpiritus Mindereri exterius adhibiti in ſtruma et decocti foliorum tabaci in aſthmate ſpaſmodico. Amputatio, quae ob aneuriſma in poplite inſtituitur, ſemper infelix et infauſta eſt. GEORGE BAECKER et LIND contendunt, puluerem ligni Swieteniae Mahagony ad fugandas febres intermittentes valere. In corneae maculis optimo cum vſu cicutam praeſcribunt. Solani tuberoſi tubera cruda egregium exhibent contra ſcorbutum remedium.

p. 132. WILLICH *de retrouerſione vteri.* Retrouerſus erat hoc in caſu vterus in foemina in tertio grauiditatis menſe, qui, quamuis non ſine difficultate, per digitos in inteſtinum rectum immiſſos reponebatur.

p. 137. *Obſeruationes chirurgicae* auctore FIELITZ. Recitat aliquot caſus, in quibus mercurius ſublimatus in morbis ex lue venerea natis egregia praeſtitit. Atreſiae ani exemplum. Narrat de infante, cuius palpebrae erant concretae, atque his ſectione apertis, loco bulborum oculi albam pituitam deprehendit.

p. 144. Proponit Cl. EVERS faſciae Brasdorianae ad fracturam clauiculae emendationem, ipſamque correctam depingere curauit, eiusque vſum variis exemplis et caſibus demonſtrare haud omittit.

p. 150. *De infante maxima ex parte cerebro et cerebello deſtituto*, auctore D. THILENIO.

p. 152. *De vulneris abdominalis cura*, auctore HOMBERG. Sine eo, quod ligatura adhibebatur, repoſitum eſt praeſciſſum omentum.

De

De curatione cataractae capſulae lentis ope ſubli- p. 154.
mati mercurii.

De gangraena, cui ex debilitate ortae cortice et p. 156.
laudano liquido Sydenhami medebatur.

MÜNCH *obſeruationes de belladonnae virtute me-* p. 377.
dica in variis morbis. Commendat inprimis radicis puluerem tanquam certiſſimum contra hydrophobiam remedium. Eligit radices plantarum triennium, quae nondum floruerunt, ipſasque mundatas in libero aëre exſiccat. Excitat hocce remedium in parte a morſu laeſa vel tumorem vel etiam ſpaſmum. Donec hicce tumor et ſpaſmus remittat, hocce medicamine iteratis vicibus opus eſt; et quidem ſequenti in ordine, vt primum tres doſes biduo interpoſito adhibeat, et ſi ſymptomata nondum fuerint conſopita, repetat poſt tres dies idem remedium quinque diuerſis doſibus. Offert pulverem aegrotanti in auenae excorticatae decocto. Hydrophobia iam praeſente, praeter venaeſectionem inprimis continuatus puluueris vſus conducit. Doſin pro aetate diuerſam praeſcribit ab vno grano ad tredecim vel quatuordecim grana. Adnexae his ſunt variae morbi hydrophobici per ipſam hanc medicinam curati hiſtoriae.

De efficacia et virtute medica digitalis purpureae p. 531.
in ſcirrho, auctore MAYER. Exhibuit ſucci expreſſi quartam cochlearis partem, quae, excitata diarrhoea, egregie ſoluebat ſcirrhoſos tumores.

Secundum Cl^um^ MICHAELIS iſti, qui ſcorbuto p. 534.
laborant, non niſi quam difficulter aërem elaſticum inſpirant.

THILENIVS *de vſu arſenici in cancro.* Caſus p. 536.
narratur, in quo nimia doſis arſenici et in cataplaſmate et interne adhibiti lethalis et funeſta fuerat.

p. 542. *Aduerſaria chirurgica*, auctore H. SCHNEIDER. Confirmat vtilitatem decocti maltacei et nitri in vlceribus, aſae foetidae in carie metatarſi, et pulveris phellandrii aquatici in vlceribus fiſtuloſis. Egregios effectus quoque vidit ex vſu decocti corticis Peruuiani cum ſale ammoniaco et camphora in fiſtulis curandis.

p. 548. WAITZ, M. D. *de retrouerſione vteri.* Caſus antecedenti p. 132. ſimillimus.

p. 551. SWERTNER, M. D. *de ſingulari veſicae vrinariae morbo.* Excitauerant vlcera ſteatomatoſa veſicae aliquoties haemorrhagias, et excreta etiam erant polypoſi ſanguinis concrementa.

p. 556. Excitare ope emplaſtri veſicatorii fonticulos ſuadet Cl. KVERS.

p. 557. *Continuatio obſeruationum de efficacia belladonnae in rabie canina*, auctore Cl° MÜNCH.

p. 734. Dr. MICHAELIS *Litterae Neuyork datae.* Experientiſſimi Dn[i] JOHNS et BAYLEY Medicinae Doctores vtuntur opio ad herniarum incarceratarum repoſitionem. BAYLEY etiam in vulneribus, fracturis et luxationibus maximi periculi ad praecauendam inflammationem maiori in doſi idem adhibet, et in morbis putridis et angina putrida calomel ad ſalivationem vsque, ſicuti et alii Americae ſeptentrionalis medici, in vſum vocat. Fuſius de angina membranacea et medendi methodo, qua Cl. BARD, M. D. vtitur, exponit.

p. 744. Exp. PLOUQUET, Profeſſor Tubingenſis, herniam inguinalem incarceratam facile repoſuit, expanſa verſus herniam vagina vteri. Quapropter quaeſtionem mouet, num in ſexu potiori per inteſtinum rectum ſimilis poſſit inſtitui dilatatio.

p. 749. *Aduerſaria chirurgica*, auct. Cl. LOEFFLER. Spaſmum ſaepe reducem egregie coërcuit et mitigauit protinus applicata faſcia. Hirudines, priusquam

quam corporis partibus admoueantur, obuoluit charta madefacta, atque locis hirudinum ope ſcarificatis apponit cucurbitulas, quo longius continuet haemorrhagia. Ferulas ex ſtanni bractea confectas reiicit, et potius ſuadet eas ex duplici panno et virga balenaria componi. Simili ſtudio corrigit faſciam octodecim capitibus. Ferro candente non admoto, ſed modo ſuperhabito, vlcus conſolidauit. —

In tomo ſexto ſequentes leguntur animaduer- T. VI.
ſiones.

BLVMENBACHII *Adnotata in Troiae experimenta de nouorum oſſium regeneratione.* Repetiit nimirum TROIAE experimenta, ſed vti nobis videtur, nimis obiter et fugitiuo oculo. p. 107.

Dr. MICHAELIS *Litterae Newyork in Americaſeptentrionali datae.* Errant, qui anginam membranaceam pro putrido nec pro inflammatorio habent morbo, ſicuti experientia ſatis demonſtrat, antiphlogiſtica nec antiputrida methodo huic morbo omnium optime mederi. Vtilitatem amputationis in articulo in dubium vocat, ſicuti etiam POTTII conſilium de ſitu obliquo membrorum fractorum notat et improbat. Foemina rachitica peperierat bis infantem bifida ſpina deformem, reperiebatur etiam in cerebro multa aqua. Cataplaſmata ex ſucco et radice raſa dauci parata effectum egregium in vlceribus ſcorbuticis praeſtant, nec dubitat in ſcorbuto veſicatoriis vti, quae a variis medicis plane reiiciuntur. — De vſu opii in morbo venereo. — Laudat tanquam egregium remedium aduerſus tumores albos (White-Swellings) vnguentum ex gummi ammoniaco et oxymelle ſquillitico, quo ter de die genu inungi oportet. — De aneuriſmatibus arteriae popliteae quaedam. — Propoſuit in plenaria ani et inteſtini recti atreſia ani artificia- p. 113.

lis operationem, quae vero non rite peracta mortem ab infante remouere non valebat. Scirrhositates proſtatae vel ex cauſa venerea l. ſcrophuloſa ortae ſaepe ſymptomata producunt, quae calculum veſicalem adeſſe medicis perſuadent atque falſo imponunt. Exemplum indicat cataractae poſt depoſitionem diſſolutae. Porro commemorat herniam inguinalem, quae a latere interno arteriae epigaſtricae poſita erat, et aliud exemplum, vbi tota hernia a ſolo coeco formata erat.

p. 169. *Continuatio obſeruationum de efficacia belladonnae in morſu colubri Beri*, auctore MÜNCH. Intereſt ſcire, quod hocce in morbo non radicis, ſed foliorum puluere ſit vſus. Praebet vero plerumque pro doſi pulueres quindecim a grano vno ad duodecim. Praeterea varias morborum hiſtorias enarrat et fuſius medendi methodum explicat.

p. 335. *Obſeruationes chirurgicae*, auctore EVERS. Commendat Faſciam T. ad conſolidanda colli vulnera ipſamque illuſtrat icone.

p. 338. *Continuatio obſeruationum de virtute medica belladonnae in rabie canina*, auctore MÜNCH.

p. 343. *Deſcriptiones et icones duarum odontagrarum ad euulſionem dentium ſecundum perpendicularem directionem.*

p. 512. Commendat Ill. RICHTER elaſticos et flexiles PICKELII Prof. Wirceburgenſis immiſſores.

p. 515. Deſcribitur calculus veſicalis ſingularis formae et magnitudinis.

p. 520. *De noua machina vtili ad curationem fracturarum femoris obliquarum propoſita a Domino* VNGER Chirurgo. Cum haec deſcriptio vix admittat epitomen vel excerptum, neque, niſi icone illuſtrata, plane intelligi queat, commendamus illis, quorum intereſt huius ſellae compoſitionem accuratius noſſe, vt ipſam ſedulo cofectam legant.

Hiſtoria

Hiſtoria voluuli lethalis, auct. ZIERMANN. p. 526.

Aduerſaria chirurgica, auct. PFAFF. Exempla p. 530.
inſignia vulnerum contuſorum, aliud cariei capitis femoris, in herniae incarceratione ſuadet decoctum foliorum tabaci. — Exemplum rupti vteri. — Polypus vteri, qui ter ligatura adhibita rurſus naſcebatur, forcipe auulſus nunquam rurſus apparuit.

Varicibus grauidarum Cl. GOERZ medetur ſale p. 541.
ammoniaco in aceto vini ſoluto.

De vſu corticis ſalicis chirurgico, auct. GOTTFR. p. 715.
HEINR. FIELITZ. Laudat prae ceteris ſalicibus inprimis Salicen fragilem.

Dr. MICHAELIS *Litterae Neuyork in America* p. 722.
ſeptentrionali datae. Refert de vlcere hepatis poſt vulnus capiti inflictum; de adhibitis vlceribus artificialibus in paralyſi inferiorum extremitatum; de hernia rariori dorſali ex vulnere. Alia vulnerum rariorum exempla enumerantur. Amauroſis in fulmine tacto ſubito orta, alio fulmine apparente rurſus euanuit. In cadauere arthritici vidit ex metaſtaſi materiae morboſae totum pericardium, ſicuti et aortam in omni circumferentia et maxima ex parte ipſa repletam. Porro obſeruat, ſe vidiſſe in cadauere vaſa ſanguinea inter mediaſtinum et pulmones, quae iniectione repleuiſſe MONRO et JOANNES HUNTER contendunt. Laudat denique et commendat valdopere vſum opii in morbo venereo, quod, ſicuti ſibi perſuaſum habet, non ſolum nullam omnino noxam affert, verum quoque, quod antea obſeruatum eſſe vix credit, vrinam mouet. Inprimis iis egregie conducit opium, qui vna cum lue ex ſcorbuto laborant. In magna vero doſi inprimis praeſcribit opium et in bubonibus vlceribusque partium genitalium et faucium, in ſcabie venerea, condylomatibus oſſium doloribus, optimos ab ipſo expertus eſt effectus. Ill. RICHTERI autem

tem ſuper hac medendi ratione iudicium nobis haud contemnendum videtur. Monet enim, ſe non tam exoptatos effectus de eius vſu vidiſſe, modo morbum ſine eo, quod ipſi medeatur, conſopire, in regionibus calidioribus ex ipſius climatis et aëris indole hunc morbum facilius, quam in noſtris frigidioribus, compelli. Conſiderat eapropter hocce remedium ſicuti medicinam diaphoreticam ſopientem et palliatiuam, nec tamen plane eius vſum reiicit.

p. 742. *De anguſtia vaginae vteri in grauida.* Caſus notatu digniſſimus, ſicuti nobis ſaltim videtur. Repudiata ſectione caeſarea, vagina ad pennae gallinaceae craſſitudinem anguſtata inciſionibus octo ita ampliata eſt, vt partui nullum amplius poneretur obſtaculum.

T. VII. In ſeptimo tomo legimus, quae ſequuntur, obſeruationes.

p. 579. MICHAELIS *de neruorum regeneratione.* Experimenta ipſi manifeſtarunt, non ſemper nerueam ſubſtantiam, ſed interdum telam celluloſam modo regenerari. Promittit ſe plura capturum eſſe experimenta, quae ſane auide exſpectamus.

IDEM *de efficacia ſalis culinaris in haemorrhagia interna.* In ventriculum ingeſtum ſpaſmum per totum neruoſum ſyſtema excitare videtur. Haud ſine effectu egregio ipſa hac medicina aliquoties in haemoptoë vſus eſt.

p. 585. IDEM *de differentia inter pus et alias puriformes materias.* Examinatis DARWINI experimentis, ipſa fallacia cognouit. Illuſtrauit nuper eandem quaeſtionem quoque SALMUTH, tamen nondum omni ex parte ipſi, vti nobis videtur, ſatisfecit.

p. 591. *De hernia duplici ſacco incarcerata,* auctore MASSALIN.

De

De enormi partium genitalium vulnere, auctore KNOLL. p. 594.

Obſeruata chirurgica, auctore MEYER, M. D. Oleum nucum egregie maculas corneae ſuſtulit, et quo diutius ſit conſeruatum, eo meliorem eſſe efficaciam eius indicat; aduerſus genu tumores et articuli fungum optimo cum ſucceſſu adhibuit emetica et fumigationes volatiles humidas. Poſt gonorrhoeam retropreſſam in viro triginta annorum tumens et induratus teſticulus inoculatione, vt dicunt, gonorrhoeae ſolutus eſt. Laudat decoctum ononidis ſpinoſae in eodem morbo. p. 597.

Obſeruata chirurgica, auctore SCHNEIDER. Pedumoedema et vlcera optime fugauit ſolutione gummi arabici, cui admixta erat myrrha cum camphora et faſcia. Membris frigore rigentibus opitulatus eſt balneo calcis. Butyro antimonii in iridis prolapſu et tinctura thebaica in ophthalmia vetuſta vſus eſt. p. 600.

FISCHERI, M. D. et P. P. *Epiſtola Londinenſis*. Profuit opium quater de die ad grana quinque exhibitum in lue venerea. Exempla narrat, vnum felicis ſectionis caeſareae, alterum ſectionis ſymphyſeos oſſium pubis haud infeliciter peractae. Exhibet Cl. SIMMONS camphoram in mania inde a granis decem ad drachmam, quae vero doſis attamen vertiginem et inſultus epilepticos interdum excitat. Opium conducit inprimis puerperis mania laborantibus. Secundum eiusdem obſeruationes venaeſectiones et purgantia nihil plane in triſti hoc morbo praeſtiterunt. p. 767.

Exempla vulnerum inſignium pectoris feliciter curatorum, auctore HACQUET. p. 773.

Aduerſaria chirurgica, auctore FIELITZ. Scabiem omnium optime methodo Iaſſeriana fugauit, laudat porro vſum ipecacuanhae in herniarum incarceratione, et vnguenti ex aceto ſcillitico et gummi ammo- p. 776.

ammoniaco in arthritide. Varii partus difficilis caſus.

p. 785. *Aduerſaria chirurgica*, auct. LOEFFLER. In tumoribus a vena medinenſi ortis linimentum volatile, et interne, tum externe ſalicis fragilis extractum in variis morbis commendat. Margines calloſos vlcerum coërcet emplaſtri veſicatorii fruſtulis et carnem fungoſam oleo camphorae et panno, quod dicimus *Wachstuch*, cuius etiam magnus eſt in excoriatione vſus, ſi oleo oliuarum illinitur. —

XXIV.

Phytographie économique de la Lorraine, ou recherches botaniques, ſur les plantes utiles dans les arts. Ouvrage couronné dans la Séance publique de l'Academie Royale des Sciences, Arts et Belles-Lettres de Nancy, par Mr. WILLEMET, à Nancy, 1780. 8. 142 pag.

i. e.

Phytographia oeconomica Lotharingica, auctore WILLEMET.

Conſilium Cl. Auctoris in hoc libro conſcribendo quam maxime probandum atque laudandum eſſe arbitramur, non ſolum propterea, quod docuerit, ſe in re herbaria egregie verſatum eſſe, ſed etiam hanc ob cauſam, quod plantas deſcripſerit, quae non tantum medicis virtutibus inſtructae ſunt, ſed ad artium et operarum cultum ſpectant. Igitur phytographiam oeconomicam Lotharingiae, exemplo LINNEI excitatus, qui Floram oeconomicam Sueciae litteris conſignauit, artificibus operariisque vtiliſſimam, publici iuris fecit. In vniuerſum autem omnes plantas Lotharingicas vſui oeconomico

nomico inſeruientes in claſſes quasdam redegit, atque ordine alphabetico nomina Francogallica et maxime vulgaria indicauit, quibus LINNEI denominationes proprias addidit, et accurate obſeruationibus vſum oeconomicum declarauit, neque locorum regionumque naturam, vbi copioſiſſime proueniunt, ſilentio praeteriit. Nimis longum foret, omnes plantas ſigillatim nominare, igitur tantummodo claſſes indicabimus atque vnam alteramque plantam.

I^ma Claſſis continet *comeſtibiles farinaceas*, quae loco frumenti in annonae caritate adhiberi, et ex quibus panis ſuccedaneus *), vel ex earum farina ſolum, vel cum farina frumenti mixtis poteſt confici. Triginta et vnam plantam ad hanc refert claſſem, et declarat, quaenam partes plantae optime huic rei conueniant, v. c. grana, radices, fructus, ſemina. Occurrunt hic *Auena fatua*, *Scorzonera humilis*, *Quercus robur*, *Lathyrus tuberoſus*, *Tilia Europaea* etc. p. 4.

II^da Claſſis, *comeſtibiles culinares*, potiſſimum in gratiam pauperum vili pretio comparandas. Tales ſunt 119, e quibus notamus *Allium vineale*, *Artemiſiam vulgarem*, *Anchuſam officinalem*, *Chaerophyllum bulboſum*, *Liguſticum leuiſticum* etc. p. 12.

III^tia Claſſis, *fructus agreſtes*. Collocat Cl. Auctor hic eiusmodi fructus, qui transplantati in viridario cultu atque ſtudio humano egregie nutriendis corporibus inſeruiunt. Hic 22 numerantur, inter quos *Vaccinium myrtillus*, *Fagus ſyluatica*, *Viburnum opulus*, *Rubus fruticoſus* etc. p. 29.

IV^ta Claſſis, *Vegetabilia pro Zythopoeis, liquorum magiſtris et viatoribus, et quibus loco Caffee, Thee, et cum aqua ad ſerum lactis efficiendum vtendum eſt.* Plantae 49 hic commemorantur, de quibus nominare p. 32.

*) Vide QUELMALZII prol. de pane ſuccedaneo.

nare liceat, *Betulam albam*, *Ericam vulgarem*, *Dipſacum fullonum*, *Fumariam officinalem*, *Feſtucam fluitantem* etc.

p. 42. V^ta Claſſis, *Gramina pro beſtiis.* Producuntur 45, quae non ex artis regulis, ſed potius ex inſtinctu naturali, ratione nutrientium partium atque praeſtantiae ſuae ſunt diiudicandae.

p. 49. VI^ta Claſſis, *de quamplurimis aliis alimentis diuerſorum quadrupedum animalium.* Commemorat A. Cl. 208 plantas, quae pro naturae viriumque differentia nutriunt et alunt egregie quamplurima animalia, et in quarum cultura potiſſimum prudentis oeconomi cura debet verſari. Sunt autem inter eas, *Malua alcea*, *Aquilegia vulgaris*, *Angelica ſilueſtris*, *Geranium robertianum*, *Betula alba*, *Pimpinella ſaxifraga*, *magna*, *Lonicera xyloſteum*, *Valeriana locuſta.*

p. 83. VII^ma Claſſis, *de fructibus, baccis, ſeminibus et granis, quibus commode aues nutriuntur.* Eorum numerus eſt 37, et ibi inter alia reperiuntur: *Crataegus oxyacantha*, *Verbaſcum thapſus*, *Dipſacus fullonum*, *Aconitum napellus*, *Vlmus paluſtris.*

p. 86. VIII^ua Claſſis, *de floribus principibus, quibus admodum apes aliaque delectantur inſecta.* Longum catalogum plantarum 97 hic conſpicere licet, qui omnino iis gratus debet eſſe atque acceptus, quibus cura et educatio apum quam maxime cordi eſt. Locum inter reliquas obtinuere, *Leonurus cardiaca*, *Malua alcea*, *Geranium ſanguineum*, *Primula veris*, *Spirea filipendula*, *Fraxinus excelſior*, *Tuſſilago farfara* etc.

p. 91. IX^na Claſſis, *vegetabilia, quibus in picturis et tincturis vti licet.* Recenſentur 110 plantae, ad quas pertinent *Aſperula aruenſis*, *Atropa belladonna*, *Doronicum plantagineum*, *Stachys ſilvatica*, *Arnica montana*, *Viburnum lantana* etc.

X. Claſſis

X^ma Classis, *cosmetica*, 12 numerantur plantae, quarum nomina sunt: *Myagrum perfoliatum, Cochlearia draba, Pinguicula vulgaris, Lithospermum arvense, Semperuiuum tectorum, Antirrhinum petiverianum, Antirrhinum linaria, Anagallis aruensis, Antirrhinum vulgare, Nymphaea alba, Arum maculatum, Brassica erucastrum.*

XI^ma Classis, *de vegetabilibus peculiaribus ad pulue-* p. 104.
rem quercinum praeparandum, vt parcatur quercubus. Plantae 55 hic collocantur, e quibus notamus *Agrimonium eupatorium, Betulam alnum, Saluiam pratensem, Rubum fruticosum et caesium, Salicem albam.*

XII^ma Classis, *vegetabilia exornandis atque decoran-* p. 107.
dis hortis apta. Hortulanis maxime vtilis est harum notitia, sed in ipsis ordinandis cum gratia et variatione vnusquisque suo vtatur iudicio. Plantae 91 hic locum inuenere.

XIII^ma Classis, *vegetabilia, quae inseruiunt porti-* p. 114.
bus, ambulacris ornandis, cespitibus viuis formandis aliisque ornamentis. Inter 55 plantas *Briza minor et media, Galium verum, Festuca duriuscula, Scirpus cespitosus* notari merentur.

XIV^ta Classis, *vegetabilia construendis sepimentis* p. 120.
apta, 19 plantas satis notas in hunc finem nominat.

XV^ta Classis, *vegetabilia in artibus et operibus ma-* p. 121.
nuariis vtilia. Maximi momenti est haec classis ratione lignorum diuersorum in architectura ciuili et nauali, ad vsum scriniariorum ebenisticorum, fabrorum carrucariorum, tornatorum, arculariorum, fabrorum materiariorum, vietorum etc. 45 plantae opus perficiunt.

XVI^ta Classis, *Aliae plantae artibus et operibus vti-* p. 122.
les 64, quorsum spectat *Acorus calamus, Carex, Agaricus quercinus* etc.

XVII^ma

XVII^ma Claſſis, *Vegetabilia agricolis, vini cultoribus et oeconomis cognitu neceſſaria inprimis propter ina ſecta.* Vtiliſſimum caput 40 plantas continens.

p. 137. XVIII^va Claſſis, *Noxia vegetabilia agricolis, quorum notitia ad phyſicos, meteorologiſtas et ad publicanos ſcripturae pertinet.* 40. plantae commemorantur, quorum catalogus tamen multis augeri poſſit.

XXV.

Laboratorium Chymicum; Förſta Delen om Gull och ſilfver-Fineraren eller Konſten, at med fördel draga ut Gull och Silfver utur Slip- och alla Gull och Silfver Arbetares Kratſer: Konſten at drifva och finera Gull och Silfver: Wåta och Torra Skedningen, med alla de Operationer ſom dertil höra, jemte Beſkrifning och Ritning öfver Ugnar och Werktyg ſom til deſſa Arbeten fordrar. Efter flere års egen förfarenhet af GUSTAF VON ENGESTRÖM, Bergs Råd. Stockholm 1781. 8 plagg. 11½ Tab. 2.

i. e.

Laboratorium chymicum; pars prima, de Auri Argentique Purificatore, ſ. Arte, Aurum Argentumque cum lucro e ſedimentis laeuigatoriis omnibusque auri-argentique fabrorum recrementis cum lucro extrahendi: Arte, Aurum Argentumque capellandi et purificandi: Separatione humida et ſicca omnibusque, huc pertinentibus, operationibus, cum Deſcriptione et Iconibus Furnorum ac Inſtrumentorum ad hos labores requiſitorum, ex experientia plurium annorum; Auctore

Auctore GUSTAVO VON ENGESTRÖM, I. R. M. Suec. a Conſil. Metall.

Hoc ſub titulo labores vtiles publici iuris facere conſtituit Cel. Auctor. Huius partis contenta titulus docet. Sectio haec ſedimenta laeuigatoria (*Slip*) tractat, miſcelas ſcilicet argenti, pumicis, arenarii, carbonumque particularum ſubtiliſſimarum, quas dicti metalli laeuigatione obtinent aurifabri. Continent haec argenti ſemunciam vnam vsque ad quatuor, vel vltra, in ſingula libra, et colliguntur, vt ſufficiens copia vna reductioni ſubiiciatur. Colligendis, vt ex aqua bene praecipitentur, permittitur, quo facto, decantata aqua, ſiccantur, ac ad faciliorem reddendam fuſionem in vaſe cupreo, vel ferreo, agitando vruntur, vt immixtus carbonum puluis penitus comburatur. Antequam nunc fundantur, argenti contenti copia eſt exploranda, caute, praeſertim ſi diuitia ſunt, et inaequaliter immixta argenti grana filaque fallaciae anſam praebent, vnde cum cribratio pauperiora det ſedimenta, praeſtat bene mixta explorationi ſubiicere, inſtituendae illi cum fluxibus iisdem, qui fuſioni magnarum portionum ſunt deſtinati. Fuſionem in tigillo tutiſſimam cenſet Cl. Auctor, cum, quas vidit, plumbo in cineritio fuſo additio et cupellatio non minus, quam fuſio in furno, quo metallum fuſum per parietis anterioris puncturam emittitur (*ſtichofen*), iactura laborent neceſſe ſit. Fluxus Noſter tentauit varios, variaque proportione admixtos, ſcil. I. Sedimentum 2 ſemunciarum argenti in libra ſingula continentium ℔ 10, cinerum clauellatorum ℔ 12; Tartari rubri ℔ 10; Lithargyrii ℔ $2\frac{1}{2}$; II. Sedimentum $4\frac{1}{2}$ ſemunciarum in ſingula libra continentium ſemuncias 16; Fellis vitri ℔ 1; III. Sedimentum praecedentium ſemunc. 16;

p. 14.

p. 15.

p. 16.

p. 17.

p. 19.

p. 32.

p. 39.

16; Fellis vitri ℔ 1; Limat. ferri ſemunc. 7;
IV. Miſcelam dictam, modo Limat. ferri ſemunc.
p. 42. 6; V. eiusdem tantum ſemunc. 3; VI. Sedim. di-
p. 43. ctorum ſemunc. 16; Fellis vitri ℔ 1 et ſemunc.
p. 46. 16; Limat. ferri ſemunc. 3; VII. Sedim. dictor.
p. 48. ſemunc. 16; Fellis vitri ℔ 1; Limat. ferri ſemunc.
p. 49. 2; VIII. Sedim. dictor. et Fellis vitri quantitates
modo memoratas, Litharg. ſemunc. 4; Limat. fer-
p. 52. ri ſemunc. 2; IX. Sedim. dictor. ℔ 4; Fell. vitri
p. 54. ℔ 8; Litharg. ℔ 1; Limat. ferri ſemunc. 16; X.
Sedim. dictor. ℔ 20; Fell. vitri ℔ 40; Litharg.
p. 67. ℔ 5; Ferri ℔ 2 cum ſemunc. 16; XI. Sedim. di-
ctor. ſemunc. 16; Capitis mortui, a deſtillatione
nitri cum vitriolo martiali reſidui, ℔ 1; Litharg.
p. 70. ſemunc. 4; XII. Sedim. eorundem, capitisque mor-
tui pares quantitates cum ſemunciis 5 pulueris
p. 76. carbonum, 4 Litharg. et 2 ferri; XIII. Sedim. $2\frac{1}{2}$
ſemuncias, argenti in ſingula libra continentium
℔ 3, cum eadem quantitate ſalis e fruſtulorum
doliorum etc. combuſtorum cinere elixiuatio-
p. 77. ne obtenti, et Litharg. ſemunc. 24; XIV. Sedi-
menti ſalisque memoratorum ana ℔ 20, cum Li-
tharg. ℔ 4, ſemunc. 14, et ferri ℔ 1, ac ſemunc.
p. 87. 24; XV. Sedim. $3\frac{3}{4}$ ſemuncias in ſingula libra con-
tinentium ℔ 20; cin. clauellator. ſalis communis,
p. 92. Litharg. ana ℔ 10; XVI. Sedim. $4\frac{1}{2}$ ſemunc. ar-
genti in ſingula libra continentium ſemunc. 8, ci-
neritii, e cineribus oſſium parati cupellando plum-
bo adhibiti, ſemunc. 2; Fell. vitri ſemunc. 16;
p. 93. ferri ſemunc. 1; XVII. Sedim. dictorum cineritii, e
cineribus ligni confecti et ad cupellandum plum-
bum adhibiti; Fellis vitri ferrique dictas quantita-
p. 95. tes; XVIII. Sedim. dictor. ℔ 20; cineritii poſte-
rioris ℔ 5; Fell. vitri ℔ 40; Ferri ℔ 2 ſemunc.
16. Omnium horum proceſſuum, quibus obtenti
plumbei reguli cupellatione argentum elicitum lar-

gieban-

giebantur, praeſtantiſſimos cenſet Cl. Auctor XIV et XVtum, vt tamen hic, ob facilius comparandos fluxus, illi palmam praeripiat, dum doliariorum ſal non ſemper proſtet. Singuli proceſſus clare ſunt deſcripti ſcholiisque illuſtrantibus aucti, ac calculis ſumtuum comparati.

Altero capite furnum fuſorium deſcribit Cl. Auctor, dictis laboribus adhibitum, anemium illum, crate e tignis ferreis mobilibus conſtructa, camino oblique retrorſum ac dein recta adſcendente, vt per valuae aperturam tigillum immitti et extrahi, fundenda ingeri, agitari et obſeruari poſſint. p. 113.

